donatione. Similiter videtur tacite revocata donatio hæc, ſi donatarius ingratus fuiſſet donanti aliquo ex modis traditis, *l.fin. C.de rev.don.* & *l.ſi.C.de don.* Quia ſi ex illis cauſis poteſt revocari donatio perfecta inter viros, a fortiori cenſebitur revocata hæc donatio imperfecta, & quæ habetur inſtar legati. Sic *Jo:Lup.d.* §.78 *n.*17. Et quamvis ut donatio perfecta revocetur ob ingratitudinem, deſideretur actus donatoris revocantis: is tamen minime deſideratur, quando hæc donatio inter conjuges morte confirmanda, revocatur ob ingratitudinis cauſas, ſed ipſo jure tacite revocata manet. Ut bene docet *Greg.Lop.l.*10. *verb. Sus hæreditos, t* 4.*p.*5. *per l.*3. §.*finaliter, ff.de adimend.leg.* ex qua conſtat legatum ob ſimiles cauſas ipſo jure revocari. Et ratio diſcriminis eſt, quia donatio perfecta revocatur ob ingratitudinem, in pœnam ingrati, quare opus eſt ut donator eam pœnam inferat. Donatio autem imperfecta revocatur ex tacita, & præſumpta donantis mente, inſtar legati, & donationis quæ nativitate filiorum revocatur, juxta *l. Si umquam, C. de revoca. donat.* quare ſicut hæc ipſo jure revocatur, ita donatio hæc imperfecta.

12 Tandem donatio hæc tacite revocatur eodem prorſus modo, quo & legatum. Quia naturam ultimæ voluntatis, non autem contractus obſervat. Sic *Molina lib.* 1. *de primog. c.*9. *n.* 42.

13 Hinc infertur revocari ipſo jure per graves inimicitias ſupervenientes, ſecus per leves: ut colligitur ex *d. l. Cum hic ſtatus* §. *Si divortium ff. de don. inter vir.* & *ux.* & docent *Joan. Lup. rubr. de don.*§.78.*n.*19. & *ſeq. Menoch. de præſum. l.*3.*præſu.*37. *n.*17. & conſtat, quia legatum ob ſimiles inimicitias revocatur ipſo jure: ut expreſſe habetur *l.* 3. §. *Non ſolum ff. de Adim. leg.* tradunt omnes auctores. De qualitate autem harum inimicitiarum, conſulendi ſunt *Joan. Lup. eo.* §. 78. *n.* 19. *ſeq. Mantic. de conject.ul. vol. l.* 12. *toto t.* 5. *Menoch. de præſump.* 37. & *l.* 4. *tota præſum.* 170. Et hoc verum eſt, niſi poſt ortas inimicitias ſe reconciliaverint donans, vel legans, & donatarius, aut legatarius. Tunc enim cenſetur remiſſa inimicitia, & inſtauratur donatio, vel legatum: ut de donatione habetur expreſſe *l Cum hic ſtatus*, §. *Si divortium, ff. de don. inter vir.* & *uxor.* & *de leg. l.*4 *ff. de adim. l.* Et docent *Ripa, l.fin.q.* 61. *n.* 204 *C. de rev don. Bart. Alex. Cuma Aret. Immola, Jaſon Curtius*, quos refert, & ſequitur *Molina l.* 1. *de primog. c.*9. *nu.* 42. *Ant. Gom.* 1. *var. c.* 12. *n.* 56. *Acoſta l. Gallus* §. *Et quid ſi tantum* 3. *p. nu.* 80 & *ſeq. ff. de lib.* & *poſt. Minbac. de ſucceſſ. creat. l.* 1. §. 10. *n.* 621. *Mant. de conject. ul. vol. l.* 12. *t.* 5. *n.* 18. *Menoch. de præſump. l.* 3. *præſumpt.* 37. *n.* 38. & *l.*4. *præſumpt.* 170 *n.* 13. ubi exemplificat, ſi teſtator poſt inimicitias feciſſet codicillum, & aliquid legaſſet inimico, tunc enim ait cenſeri remiſſam inimicitiam. *Salzedo add. ad reg.* 410. *Bernardus Diaz limit.* 4. *P. Molina tom.* 1. *de juſt.tr.*2. *diſp.* 212. §. *Tacite vero.*

14 Et verum quidem eſt, cenſeri tacite revocatam donationem per inimicitias ſupervenientes, quamvis donans inimicitiæ conſcius tempus habuerit revocandi, feceritque codicillum, nec in eo revocaverit. Sic enim de legati revocatione aperte habetur, *l.Filio* §.*Seja, ff.de adim.leg.* Et tenent *ibi Bart. n.*1. *Alex.l.*1.*n.*33. *ff. de vulg. Ripa d.l.fi. n.*151 *Aret. conſ.*93. *n.*5. *Peralta l.Cum quidam n.*8. *de leg.*2. *Mantica d. t.*5. *n.*2. *Menoch. l.*3. *de præſum.præſum.*37. *n.*18. & *l.*4.*præſum.*170.*n.*4 *Salzedo de reg.*410.*ampl.*12. *Mol. l.*1. *de prim. c.*9 *nu.*41. *alter Molin. d.diſp.*212. §.*Tacite vero.* Et in terminis donationis inter vir. & uxor. videtur tenere *Menoch. d præſum* 37. *n.*18. ubi hoc dicit in donatione cauſa mortis, cui *n.* 17. dicit in hoc æquiparari donationem inter virum & uxorem. Quod temperandum eſt, niſi teſtator in ipſo codicillo revocaſſet aliqua ex legatis jam tacite revocatis, tunc enim quæ expreſſe non revocavit, videtur tacite confirmaſſe. Sic cum *Pertranſacta* docet *Meno.* agens de legatis, *de præſum. l.* 4. *præſump.* 170.*n.*5. Quare conſequenter idem dicendum eſt de don. inter vir. & uxor. cum ſimiliter ac legatum revocetur: ut diximus nu. 12.

15 Demum inquires, quid ſi culpa donantis, inimicitiæ ortæ ſint? *Bart.l.Cum in tabulis, n.*1. *ff. de his quib. ut indig.* & *Rimin. inſt. de don. in princ. n.* 1083. & multi alii quos refert *Menoch. de præſump. l.* 3. *præſump.* 37. *n.* 22. cenſent legatum in hoc eventu non revocari: quare idem cenſerent de hac donatione, Sed dicendum eſt revocari: quia in legato ita videtur expreſſe probari, *l.* 3. *ff. de adim. leg. verſ. Et pœnituit.* Et ratio eſt, quia hoc caſu revocatur legatum vel donatio ex præſumpta donantis, vel legantis voluntate, quæ ita præſumitur mutata, ſive culpa donantis, aut legantis, ſive donatarii, aut legatarii inimicitiæ ortum habuerint. Sic agentes de legato, docent *Ripa l. ſi C. de rev.don. n.* 151. *Jaſ. l. Si filiam, n.*2. *C. de inoffic. teſt. Joan. Lup. rub. de don.* §. 78. *nu.* 27. *Gerard. ſingul.* 5. *Jo: ab Amicis, conſ.* 4. *Peralta l. Legatum n.*33. *ff. de l.*2. *de Bernard.Diaz reg.*410.*lim.* 1. & *ibi Salzedo in add. verſ. Et unicam limitationem, Mench. de ſucceſſ. creat. l.*1. §.10. *n.*621. & *de ſucceſſ. progreſſu. l.*3. §.272. 9. *Cov. rub. de teſt. p.*2. *n.*2. *verſ. Quinto ex promiſſa, Padilla l. Si ſuper poſſeſſione, n.*20. *de tranſact. Mol. l.*1. *de primog. c.*9. *n.* 38. *Mantica de conject. ult. vol. l.* 12. *t.*5. *n.*9. *Menoch. de præſum. l.*3. *præſumpt.*37. *n.*23. & *l.*4 *præſumpt.*170 *n.* 6. & 7. *Meres de major.* 1. *p.* 43. *n.* 17. Quare idem dicendum eſt in donatione inter vir. & uxor. & ita expreſſe tenet *Joan. Lup. d.* §. 78. *n.* 17.

DISPUTATIO XVI.

Utrum donatio invalida inter conjuges, morte confirmata, retrotrahatur uſque ad tempus donationis factæ, tam quoad dominium, quam quoad fructus? & ſemel revocata, vel caſſata revocetur, aut caſſetur etiam quoad fructus perceptos?

SUMMARIUM.

Donatio hæc retrotrahitur non quoad dominium, ſed quoad fructus perceptos, num. 1.
Non retrotrahitur quoad omnes fructus, ſed quoad perceptos a tempore traditionis, 2.
An ſi ea donatio excedat quingentos aureos abſque inſinuatione, & donans in teſtamento confirmet exceſſum, retrotrahatur exceſſus ille quoad fructus, 3.
An poſſit ea donatio morte confirmata, ante confirmationem uſucapi, 4.
Transfertur dominium talis donationis a tempore mortis, nulla expectata hæreditatis aditione, n. 5. *Et ibi, quid ſi excedat ſummam debitam ſine inſinuatione, & donans confirmet exceſſum in teſtamento.*
An revocata donatione, aut morte non confirmata, teneatur conjux donatarius reſtituere omnes fructus perceptos. Et ea morte confirmata comparat donatarius ſolos fructus induſtriales perceptos, & hoc tantum, quando credidit bona fide valere donationem. Refertur opinio affirmans, 6.
Licet donatio non confirmetur morte, acquirit conjux donatarius fructus induſtriales, nec ad hoc requiritur bona fides, 7.
Revocata donatio, aut morte non confirmata, non retrotrahitur quoad omnes fructus, ſed tantum quoad naturales, & ceteros acquirit conjux donatarius, nec omnes tenetur reſtituere, ſed in quantum factus eſt locupletior, 8.
*Non requiritur bona fides in conjuge donatario, ut donatione morte confirmata fructus acquirat, n.*9. *Et hæc donatio retrotrahitur quoad fructus naturales & induſtriales,* 10.
Explicatur l. Fructus percipiendi, ff. de uſuris: eodem 19.

1 SIt concluſio. Donatio invalida inter conjuges, dum morte confirmatur, non trahitur retro ad tempus donationis factæ, quoad dominium rei donatæ, ſed tantum quoad fructus ex ea perceptos. Quod trahatur retro, habetur expreſſe, *l. Donationes quas parentes,* 25. *C. de don. inter virum,* & *uxorem, verſ. Si vero vel non amplior.* ibi, *ad illud tempus referatur, quod donatio conſcripta fuit.* Et *l. Si is ſervus,* 21. *ff. eod. tit.* Quod autem non retrotrahatur quoad dominium, probatur, quia expreſſa conjugis voluntas nequit rei donatæ dominium transferre in conjugem, dum ambo ſuperſtites erant, cum inter eos ſit prohibita, & invalida donatio: ergo multo minus id poterit tacita, & præſumpta voluntas, ex qua ea donatio morte confirmatur. Fictio enim non plus operari poteſt quam veritas, *l. Filio quem pater ff. de liber.* & *poſth.* & *l. Bonorum ff. rem ratam hab.* Quod autem retrotrahatur quoad fructus, probatur, quia conſtat retrotrahi, & non quoad dominium: ergo quoad fructus. Deinde quia id habetur expreſſe, *l. Cum pater,* §. *Pater filiæ, ff. de legat.*2. ibi, *nec aliud in uxore, junct.gl. verb. Nec aliud.* Et ratio eſt, quia conjux donatarius poſſidet rem donatam alio conjuge ſuperſtite (ſi enim non ſibi tradatur, & poſſideat, non confirmabitur morte ea donatio, ut dixi hoc 6. diſp. 14. nu. 6.) fructus autem poſſeſſionem ſequuntur §. *Si quis a non domino, inſtit. de rerum diviſ. l. Bonæ fidei, ff. de acquir. rerum domin.* ibi *poſſeſſor quoad fructus attinet, loco domini pene eſt.* Et *l Qui ſcit, ff. de uſuris,* ibi, *porro bonæ fidei poſſeſſor in percipiendis fructib. id juris habet, quod domini prædiorum tributum eſt.* Hanc concluſionem docent *gl. l. Donationes quas parentes; verb. Referatur,* & *ibi Bald. fin. C. de don. inter virum,* & *uxorem, idem gl. l. Talis ſcriptura fin. ff. de leg.* 1. ubi *Paul.* dicens communem, *n.*4. & 5. & *Alex. n.*8. *Hoſt. ſum. t. de don int. vir.* & *ux. n.*9. *ver. Et quod dicit. Bart. l. Sequens q. ff. de l.*2. *Crottus, l. Si is qui pro emptore, n.* 15. *ff. de uſucap. Joan. Lup. rub de don.* §.72. *n.*1. *Cov. rubr. de teſt.* 3. *p. n.* 5. *Greg. Lop. l.* 4. *verb. En ſu vida, t.*11. *p.*4. *Ant. Gom.* 2. *var. c.*4. *n.* 23. *verſ. Advertendum,* & *l.*52. *Taur. n.*65. *Villalob. in comm. opin. lit. D. verb. Don. n.*150 *Jul. Clarus l.*4. *recept.* §. *Donatio q.*9. *verſ. penult. Padilla l. Cum virum, n.*18. *C. de fideicomm. Angulo de melior. l.*1. *gl.*1. *n.* 8. Et ex Theologis *P. Mol. tom.*2. *de juſt. tr.* 2. *diſp.*289. §. *Ut diſp. præc Lud. Lop l.*2. *de contr. c.*47. *ad fin.* §. *Notandum eſt.* Quare non eſt audienda *gl. d. l. Sequens q. fine,* & *l. Sub conditione, verb. Olim, fin. ff. de ſol.* quam ſequuntur alii, quos refert *Pinel. de reſcind. l.*2. *p.*2. *c.*4. *n.*51. docens hanc donationem retrotrahi etiam quoad dominium. Quam bene reprobat *Bart. d. l. Sequens quæſtio.*

2 Hinc infertur donationem hanc retrotrahi quoad fructus perceptos a tempore donationis traditione ſecuta, ſi enim prius donatio facta eſt, quamvis traditione ante mortem donantis ſecuta, confirmetur donatio, at non retrotrahetur quoad fructus ante traditionem perceptos. Quia ratio acquirendi fructus eſt poſſeſſio (ut dixi n. præced.) ergo fructus ante poſſeſſionem percepti non acquirentur. Sic *Cov. rub. de teſt.* 3. *p. n.* 5. *Molina n. præced. alleg.*

3 2. Infertur quando donatio exceſſit legitimam ſummam, nec inſinuata fuit, ſi in teſtamento donantis confirmaretur, non retrotrahi quoad fructus ex illo exceſſu perceptos, ſed ſoli fructus illius incrementi, percepti a morte donantis pertinebunt ad conjugem donatarium. Quia quoad illum exceſſum habet vim legati (ut diximus hoc l. 6. diſp. 14. n. 24.) quando autem debetur ut legatum, non retrotrahitur quoad fructus (ut dixi diſp. præc. n. 7.) Cum autem quoad legitimam ſummam, quæ poterat abſque inſinuatione donari confirmetur morte (ut dixi d. diſp. 14. n. 25.) quoad illam retrotrahetur quoad fructus a tempore traditionis perceptos, ſicut aliæ donationes morte confirmatæ. Sic

Sic *P. Molina tom.* 2. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 289. §. *Ut diſp. præced.*

4 3. Infertur hanc donationem, quæ morte confirmatur, non antea uſucapi incipere, quam donantis morte confirmata ſit. Sic alios referens *Greg. Lop. l.*4 *En ſu vida tit.* 11. *p.* 4. *Molina num. præcedenti relatus.*

5 4. Infertur, ſtatim a tempore mortis conjugis donantis transferri dominium in conjugem donatarium, nulla hæreditatis aditione expectata, in quo diſtat a legatis. Ita docent per *l.*1.*C. de donat. inter virum,* & *uxorem,* cum Bartol. Paulo, & communi, *Ant. Gom.*2 *var. c.*4. *n* 24. *verſ. Advertendum tamen, Greg. Lop. l.*4. *verb. En ſu vida, fine tit.* 11. *par.* 4. *Molina to.*2. *de juſt. tr.*2. *diſp.* 289. §. *Illud etiam obſervandum eſt,* ubi addit ſi donatio inſinuata non ſit, ſummamque excedat, exceſſuſque confirmatus ſit in teſtamento, cum vim legati habeat, (ut diximus n.3.) judicandum eſſe circa tranſlationem dominii, ſicut de aliis legatis, niſi exceſſus eſſet modicus: tunc enim per concomitantiam, ait dominum exceſſus tranſire in donatarium, una cum reliqua rei donatæ ſumma. Quia permixta ſunt, nec deſignare licet, quid re donata rationem habeat exceſſus. Contra autem, ſi valor quingentorum aureorum, qui abſque inſinuatione donari poteſt, modicum quid eſſet comparatione exceſſus, dicit ante hæreditatem aditam minime comparare donatarium illius ſummæ dominium.

6 Dubium autem non leve eſt, an hæc retrotractio ſit quoad omnes fructus, requiraturque in donatario bona fides? Et revocata donatione, aut morte non confirmata, teneatur conjux donatarius omnes fructus perceptos reſtituere? Nam *Jo: Lup. rubr. de don.* §.72. *n.*1. & *in fin.* tria dicit. Primum eſt, requiri bonam fidem in conjuge donatario, nimirum, ut credat donationem valere, quo fructus ſibi comparet, qua deficiente minime comparare, nec retrotrahi donationem morte confirmatam quoad illos. Ducitur, quia ſi novit donationem non valere, non poſſidet bona fide: ergo fructus non acquiret; juxta *l. De fructibus,* 18. *ff. de donat. inter vir.* & *uxor. junct. gl. verb. Habere,* ubi hæc ait: *ideoque cum mulier donationem prædiorum valere putavit, fructus ſuos facit.* Idem *gl. l. Fructus percipiendo,* 45. *verb. Maritus* & *verb. Donat. ff. de uſuris: Jo: And. c. fi. n.*4 *de don. inter vir* & *uxor.* & *ibi Card. n.*4. idem *gl. l. Quod uxor. verb. Pro poſſeſſore, ff. de acquir. rerum dom. Jo: Garzia de expenſis, c* 23. *n.* 21. 22. & 23. *Salic. Imola Aret.* & communis, & refert *Pinell. de reſcind. vendit. l.*2. *p.*2. *c.*4. *n.*49. Secundo dicit *Jo: Lup.* donationem hanc morte confirmatam non retrotrahi quoad omnes fructus, ſed quoad ſolos induſtriales. Ducitur per *d. l. Fructus percipiendo,* ibi, *fructus percipiendo uxor, vel vir ex re ſibi donata ſuos facit illos tantum, quos ſuis operis acquiſierit, (veluti ſerendo) nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſylva ceciderit, non fit ejus, ſicut nec cujuslibet bonæ fidei poſſeſſoris; quia non ex facto ejus is fructus naſcitur.* 3. dicit *Jo. Lupus,* ſi donatio revocetur, aut morte non confirmetur, eam retrotrahi quoad omnes fructus: & proinde conjugem donatarium teneri reſtituere omnes fructus perceptos.

7 Dicendum tamen eſt 1, donationem revocatam, aut morte non confirmatam, retrotrahi quoad ſolos fructus naturales, illoſque tantum teneri conjugem donatarium reſtituere; fructus autem induſtriales ſibi comparare: nec ut hos comparet, exigi bonam fidem, qua putet donationem valere. Prob. prior pars, quia fructus illi induſtriales non tam ex re ipſa, quam ex induſtria donatarii poſſidentis percepti ſunt, quare conjux donans quoad illos non efficitur pauperior; in quo caſu valet donatio inter conjuges: (ut dixi hoc 6. l. diſp. 4. n. 1. & 6.) Deinde probatur ſimul utraque pars, quia *l. fructus percipiendo, ff. de uſuris,* & *l. de fructibus, ff. de don. inter vir.* & *uxor.* non conſiderant bonam fidem, ut conjux donatarius acquirat fructus induſtriales, ſed conjugem donantem non effici pauperiorem quoad hos fructus, cum non tam ex re ipſa, quam ex conjugis donatarii induſtria percipiantur. Item, quia *d. l. De fructibus,* quaſi reddens rationem, cur conjux fructus rei donatæ acquirat, ait, *licitam habere donationem.* Et ita ſentit fructus acquiri ex ipſa donatione immediate, & non ex vi poſſeſſionis bonæ fidei. Et confir. quia quamvis conjux norit donationem non valere, bona fide & tuta conſcientia poſſidet, expectans confirmationem morte: (ut dixi hoc lib.6. d. 1. n. 3.) & ita jure permittente poſſidet, ut donatio ea morte confirmari poſſit. Quare cum fructus juſtam poſſeſſionem ſequantur, (ut probavi n.1.) non mirum eſt, ſi ratione hujus poſſeſſionis jus, ſibi concedat eorum fructuum induſtrialium acquiſitionem. Sic docent *Fulgoſ. Ex annuo, ff. de don. inter vir.* & *ux. Pinellus de reſcind. vend. l.*2. *p.*2. *c.*4. *n.*50. *Connanus l.*8. *comment. juris, c.*11. & videtur tenere *Spino ſpeculo teſtam. gl.*13. *n.*43. & 44. reddit enim rationem, ad *d. l. Fructus,* & *ad d. l. De fructibus,* applicantem conjugi donatario fructus induſtriales; quia alter non fit pauperior.

8 Imo nec revocata donatione, aut morte non confirmata, tenetur conjux donatarius omnes fructus naturales reſtituere: ſed induſtriales ſtatim irrevocabiliter acquirit, (ut probavi n. præc.) Et videtur expreſſe tenere *gl. l. Generaliter,* §. *Proinde, verb. Ex aliqua, ff. de fideic. liber.* ubi dicit, fructus non augere rem donatam ut cum ea revocentur: ut docet *Pinel. d. c.*4 *n.* 51. *Jo: Garc. de expenſis, c.*23. *n.*34. *verſ. In revocatione.* Fructus autem naturales tenetur reſtituere, in quantum factus eſt locupletior, unde ſi inutiliter eos conſumpſerit, non tenetur reſtituere: ſicut ſi rem donatam inutiliter conſumpſiſſet, nec ex ea factus eſſet locupletior, nec teneretur eam reſtituere, revocata aut non confirmata donatione: ut dixi hoc 6. l. diſp. 3 n. 3.

9 Hinc infertur, minime requiri quando donatio morte confirmatur, quod retrotrahatur quoad fructus, bonam fidem in conjuge donatario, qua exiſtimet donationem valere. Quia bona fide, & juſte poſſidet, quamvis ſciat non valere: (ut probavi n. 7.) Deinde quia *l. Donationes quas parentes C. de don. inter vir.* & *uxor.* abſolute decidit donationem hanc morte confirmatam, retrotrahi, nec conſiderat bonam fidem. Sic *Pinell. eo. c.*4 *n.*51.

10 Secundo dico: donationem morte confirmatam retrotrahi quoad omnes fructus naturales, & induſtriales. Probatur, quia ſi tantum quoad induſtriales, inutilis & vana eſſet hæc retrotrahatio: eos enim fructus donatione non confirmata acquirit conjux donatarius, (ut probavi n. 7. & 8.) Deinde quia textus, & Doctores alleg. n. 1. indiſtincte docent eam donationem retrotrahi quoad fructus: nec *d. l. Fructus percipiendo,* qua *Jo: Lup.* probat ſuam ſententiam, loquitur de donatione morte confirmata, ſed quando morte nondum confirmata eſt, decidit ſtatim acquiri conjugi donatario fructus induſtriales, non tamen naturales: ut probavi n. 7.

DISPUTATIO XVII.

Utrum donatio inter conjuges invalida, ſicut confirmatur morte naturali, ita & confirmetur morte civili? Ut ſi donans exulet, ita ut perdat civitatem, vel efficiatur ſervus pœnæ, aut hominis, vel profiteatur religionem?

SUMMARIUM.

*Quotuplex ſit mors civilis, & quot queſtiones diſputandæ ſint, n.*1.
Refertur opinio negans confirmari hanc donationem morte civili, qua donans exulat, ac civitatem amittit, 2.
Confirmatur tali morte civili, at poteſt vir revocare, 3.
Si vir efficiatur ſervus hominis, non confirmatur ea donatio, ſecus ſi fiat ſervus pœnæ, 4.
Confirmatur tunc reſpectu fiſci. Quia publicatis bonis viri ea donatio non publicabitur: at vero vir poterit revocare, & tunc res illa donata erit ſua, & non fiſci, 5.
Si uxor donaverat viro, non confirmabitur ea donatio dicta morte civili uxoris, 6.
An confirmetur hæc donatio profeſſione religionis conjugis donantis. Referuntur duæ ſententiæ. 7.
Ut donatio confirmetur profeſſione religionis conjugis donantis, nil refert ſive ante matrimonii conſummationem facta ſit, ſive conſummato, de licentia alterius conjugis, 8.
Si religio poſſideat bona ſaltem in communi, non confirmatur donatio, ſed expectabitur mors naturalis donantis, ſi vero non poſſideat, confirmatur profeſſione, 9.
An exigatur ad hanc confirmationem, ut conjux donans ſponte ingrediatur religionem. 10.
An poſſit talis profeſſus in religione poſſidente bona in communi, revocare talem donationem factam uxori, 12.

1 TRiplex eſt mors civilis. Quædam, qua conjux exulat, ita ut civitatem perdat. Alia, qua efficitur ſervus hominis, aut pœnæ. Tertia, qua religionem profitetur. Triplex igitur eſt quæſtio in hac diſp. tractanda I. de morte civili primi generis. II. de ſecundo mortis civilis genere. III. de ultima morte civili.

2 Quæſtio I. An donatio invalida inter conjuges confirmetur morte civili, qua vir donans in exilium mittitur, civitatemque perdit? Negant multi. Per *l. Res uxoris, C. de don. inter vir.* & *ux.* Pro hac ſententia eſt *gl. c. Licet undique, in fin., de offic. deleg.* ubi aſſerit morte civili non confirmari hanc donationem. Et videntur tenere *Jo: And. c. fi. n.*3. *de don. inter vir.* & *uxor.* & *ibi Præpoſ. n.*5. dicunt enim confirmari, ſi conjux donans perdat civitatem, & libertatem. Et tenent *Alex. de Nevo, eod. c. fi. n.* 11. *Roſella Donatio* 1. *n.*34. *Angel Donatio* 3. *n.*4 *Sylv. Donatio* 2. *q.*4. *Tabiena Donatio* 3. *q.*3. *n.*4. *Lud. Lop. l.*2. *de contract. c.* 47. §. *Tertio confirmatur.*

3 Contrarium tamen expreſſe habetur de donatione cauſa mortis, *l. Sed ſi mors, ff. de don. inter vir.* & *ux.* atque ita idem dicendum eſt de hac donatione: cum ſimilis ſit illi, & utraque morte confirmetur. Sic docet *Jo: Lup. rub. de don.* §.71. *init. P. Mol. to.*2. *de juſt. tr.*2. *diſp.* 288. § *Donatio cauſa mortis.* Pro qua ſent. ſunt aliqui Doctores generaliter docentes morte civili hanc donationem firmari. Sic multi quos refert, & ſequitur *Tiraq. l. Si unquam, verb. Libertis n* 112. *C. de rev. don. Greg. Lop. l.*4. *verb. En ſu vida, t.* 11. *p.*4. Unde forte priores DD. intelligunt non confirmari reſpectu viri, eo quod revocare poſſit, dum vivit: vel ſi uxor donaverat viro: juxta ea quæ dicemus, n. 5. & 6.

4 Quæſtio II. Utrum donatio hæc confirmetur morte civili, qua vir donans efficitur ſervus pęnæ, aut hominis? Breviter dicendum eſt confirmari, ſi ſervus pœnæ efficiatur, non autem ſi ſervus hominis, ſed tunc evaneſcere donationem. Hæc poſterior pars expreſſe habetur, *l Cum hic ſtatus* 33 §. *Si donatur ſervus, ff. de don. inter vir.* & *uxor.* Utraque autem pars probatur ex *l. Res uxoris C. eod. t. junct gl. verb. Deducto,* ubi dicit confirmari quando donans efficitur ſervus pęnæ, ut ſi damnetur in metallum, ſecus ſi ſervus hominis. Et rationem differentiæ aſſignat: quia donans ſervus pœnæ effectus in nullius poteſtatem tranſit, qui revocare donationem valeat: quando autem ſit ſervus hominis,

mimis, adeſt dominus qui revocare poſſit. Idem tenent *Suar. allegat.* 20. *nu.* 22. *& 23. Roſell. Angel. Sylv. Tabiena Lud. Lop. num. 2. allegati.*

5 Intellige tamen confirmari ea morte civili reſpectu fiſci, ne ea bona donata capiat bonis viri publicatis: non autem reſpectu viri donantis, poteſt enim ipſe dum ſuperſtes eſt, revocare. Sic de donatione cauſa mortis expreſſe deciditur, *l. Sed ſi mors, ff. de don. inter vir. & uxor.* Et dixi hoc 6. diſp. 10. n. 5. Et ita videtur idem dicendum de donatione facta uxori inter vivos: cum æquiparetur donationi cauſa mortis, in eo quod utraque morte confirmetur. Et licet *Cov. rubr. de teſt. 3. p. n 4.* vocet hanc nimiam extenſionem; at *Bal. l. Res uxoris, C. de don. inter vir. & uxor.* generaliter docet donationem factam uxoris non publicari viro miſſo in exilium: idem *Greg. Lop. l. 4. verb. En ſu vida, tit. 11. p. 4.* & loquitur de donatione facta inter vivos, inter conjuges, & *P. Mol. t. 2. de juſt. tr 2. diſp. 288. §. Donatio cauſa mortis, & diſp. 189. §. diſp. præced.* Si autem vir revocarit prædictam donationem poſt bonorum publicationem, res donatæ erunt ſuæ, & non fiſci: eo quod in publicatione bonorum incluſæ non fuerint, *l. Si deportati ſervo, ff. de leg. 3.* Sic *Bald. Executorum, n. 3. C. de execut. rei judic.* & reputat ſingulare *Jaſon. l. Si ſtipulatus fuerim §. Cum ſtipulamur ff. de verb. oblig.* Idem docent *Greg. Lop. & Molina d. diſp 289. proxime allegati.*

6 Si autem uxor donaverat viro, donatio hæc non confirmaretur ſimili morte civili uxoris. Quoniam id ſolum in favorem uxorum videtur introductum, de quibus ſolis agit *l. Res uxoris C. de don. inter vir. & ux.* Neque ratio ejus conſtitutionis, quam textus ille reddit, locum habet in viris: ut conſtat ibi, *& donatio maritalis ante tempus criminis, ac reatus collata in uxorem, quia pudicitiæ præmio ceſſit, obſervanda ſit, tamquam ſi maritum ejus natura, non pœna ſubduxerit.* Sic docet, *P. Mol. to. 2. de juſt. tr. 2. diſp 289. §. diſp. præcedenti.*

7 Quæſtio III. Utrum donatio hæc confirmetur profeſſione religionis conjugis donantis? Quidam aſſerunt ea morte non confirmari donationem, ſed ſpectandam eſſe naturalem donantis mortem. Sic *Vinc. c. fi. de don. inter vir. & ux. Anaſt. Germ. de ſacr. immun. l. 2. c. 3. n. 16. & l. 2. animad. c. 13.* Alii conſtituunt differentiam inter ingreſſum religionis ante matr. conſummatum, vel poſt illud conſummatum, de licentia legitima alterius conjugis: & priori caſu cenſent confirmari donationem profeſſione: ſecus autem poſteriori. Ducuntur, quia *l. Res uxoris, C. de don. inter vir. & uxor.* eam mortem civilem petit, per quam diſſolvitur matr. ut confirmet donationem: in priori autem caſu ea profeſſione diſſolvitur matr. non autem in poſteriori. Sic docent *Jo: And. c. fi. n. 3. de don. inter vir. & uxor. Ang. Donatio 3. n. 4. Sylv Donatio 2. q. 4 Tab. Donatio 3. q. 3. n. 4. Lud. Lup. l. 3. de contr. c. 47. §. Tertio confirmatur.*

8 1. Tamen dico, parum referre ſive matr. conſummatum ſit, ſive non, ut confirmetur donatio per profeſſionem donantis, & ſic in caſibus in quibus confirmatur donatio profeſſione conjugis donantis ante matr. conſummatum facta, confirmari etiam profeſſione ejuſdem legitime facta, nempe, de licentia alterius conjugis poſt conſummatum matr. Et ratio eſt, quia licet matr. conſummatum non diſſolvatur quoad vinculum per profeſſionem, at quoad effectum diſſolvitur: cum non liceat jam matr. uti, *c. Accedens, & c. Significavit, de conv. conju.* Sic docet *Alex. de Nev. c. fi. de don. inter vir. & uxor. n. 12. Præp.* ibi *init. n. 5.* & colligitur plane ex *Jo: Lup. rub. de don. §. 71. n. 4.* Probat enim confirmari eam donationem profeſſione, eo quod profeſſio eſt mors ſpiritualis, *l. fi. C. de Epiſc. & cler. c. Placuit, el 2. 16. q. 1.* Et quia matr. diſſolvitur ſaltem in effectu, cum non poſſint conjuges ſe invicem repoſcere, & ſic manifeſte loquitur de profeſſione poſt matr. conſummatum. Pro ead. ſent. ſunt *Gl. d. c. Placuit, verb. Mortuus, Roſel. donatio 1. n. 35. Manuel 1. t. ſum. c. 92. n. 2.* ubi abſque ea diſtinctione an matr. ſit conſummatum, necne, docent confirmari donationem profeſſione donantis.

9 2. Dico, ſi religio in qua donans profeſſus eſt, capax ſit poſſidendi in communi bona, donationem minime confirmari, ſed expectandam eſſe naturalem donantis mortem, & ut prius moriatur, quam donatarius: ſi autem religio incapax fuerit ſic poſſidendi, ut eſt religio Minorum, confirmari donationem ea profeſſione, ſicut confirmaretur morte naturali donantis. Prob. ex ſimili doctrina Bartoli, & multorum aliorum, quos refert & ſequitur dicens eſſe comm. *Cov. c. de teſt. num. 6.* docentis, teſtamentum factum ante ingreſſum religionis non confirmari profeſſione teſtatoris in religione poſſidenti bona in communi, ſed monaſterium habiturum ea bona dum vivit naturaliter teſtator, confirmari vero teſtatore profitente religionem, nec in communi poſſidentem bona, & ſtatim ea bona pertinere ad hæredem. Cujus rationem aſſignant, eo quod mors civilis, & naturalis æquiparantur, quando utraque eumdem habet effectum quoad bona: ex doctrina gloſsæ, *Clem. 2. de elect. verb. Moriente*, quam ad hoc commendat *Abb. c. Niſi eſſent, nu. 11. de preb. & Bald. l. fin. C. de Epiſc. & cler. init. n. 8. Jo: Lup.* ubi alios refert, *rubr. de don. §. 71. n. 2.* At quando religio non habet bona in communi, eumdem effectum ſortitur mors naturalis, civilis per profeſſionem: cum jam ea bona nullo pacto poſſideri valeant ab ipſo religioſo, nec a religione repræſentante ipſum: ſicut nec a naturaliter mortuo. Verum quando religio poſſidet bona in communi, non habet eumdem effectum mors civilis per profeſſionem, quoad bona: quam mors naturalis: quamvis enim religioſus ipſe poſſidere nequeat, atque bonis frui, poteſt tamen ipſa religio quæ religioſum repræſentat, ejuſque loco habetur, *c. In præſentia, de prob. & auth. Niſi rogati, C. ad Trebell.* ergo ſimiliter in noſtro caſu. Sic videtur tenere *Jo: Lup. de don. §. 71. n. 1. & 2.* juncto eo quod dicit, *n. 3. init.* Et docent *Roſell. donat. 1. num. 35. Sylv. donat. 2. q. 4. Manuel 1. t. ſum. 2. edit. c. 92. n. 2. Lud. Lop. l. 2. de contract. c. 47. §. Tertio confirmatur.* Et ita tenendum eſt: quamvis fatear non eſſe uſque adeo certum, donationem hanc confirmari profeſſione in monaſterio non poſſidente bona in communi. Nam fundamentum cui innititur teſtamentum, ſcilicet, confirmari eadem profeſſione, quamvis communiſſimum ſit, non eſt abſque controverſia: multi enim illud negant: docentes donec profeſſus ille naturaliter moriatur, bona ad Eccleſiam Rom. vel venientes ab inteſtato pertinere: quos refert *Suarez alleg* 20. *n.* 18.

10 Cavendum autem eſt a *Jo: Lup. rubr. de don. §. 71. n. 4.* ubi limitans doctrinam traditam, docet profeſſione donantis confirmari donationem hanc, quando donans ſponte religionem ingreditur, ſecus quando ob delictum in monaſterium detruditur. Per text. cum *Gl. auth. Sed hodie, verb. Habitu, C. ad legem Jul. de adult.* Sed hæc limitatio prorſus diſplicet. Quia ſi vere, & valide profitetur in monaſterio non poſsidente bona in communi, ſive ſponte ingreſſus ſit, ſive coactus, eadem prorſus militat ratio. Nam cum tam ipſe, quam religio incapax bonorum ſit, ea profeſsio eumdem effectum operabitur, quem mors naturalis: quare confirmabitur donatio. Nec *Auth. illa, & gl.* loquuntur de profeſsione, ſed de uxore in monaſterium detruſa in delicti pœnam. Quod ſi in hoc caſu loquatur Jo: Lup. doctrina ejus non eſt limitatio ſententiæ traditæ, aſſerentis profeſsione confirmari donationem.

11 Verum obſervandum eſt, poſſe monachum profeſſum in religione poſſidente in communi bona, dum vita fruitur, revocare donationem hanc uxori factam. Quæ juxta tradita n. 9. minime confirmatur uſque ad ejus naturalem mortem. Prob. quia eſt ſatis probabile, poſſe hunc revocare teſtamentum ante profeſſionem conditum: quod ſuſtinet communis opinio, ut referunt, & ſequuntur *Burgos de Paz l. 3. Tauri, n. 688. Matienzo l. 5. recop. t. 6. l. 1. gl. 3. n. 4.* Et quamvis in teſtamento oppoſitum credam verius, cum multis aliis: at diverſa eſt ratio in donatione hac. Quia teſtamentum antea factum revocari nequit ſola contraria voluntate, imo nec expreſſa revocatione, ſed alio æque perfecto teſtamento, *l. Si jure, ff. de leg. 2. & §. Poſteriore, juſt. quib. mod. teſtam. infirm.* unde cum profeſſus teſtandi incapax ſit, minime poteſt prius teſtamentum revocare. At donatio cauſa mortis, cui eſt ſimilis donatio facta inter conjuges morte confirmanda, poteſt ad libitum revocari, ad idque ſufficit ſola tacita voluntas: (ut diximus tota diſp 15.) Quare poterit profeſsus eam donationem revocare. Et ita loquens de donatione cauſa mortis, cui hæc ſimilis eſt, affirmat *Suarez alleg. 20. n. 27.* aſſerens, cum aliis quos refert, etiam tenendo non poſſe profeſſum revocare teſtamentum, ſentiendum eſſe poſſe revocare hujuſmodi donationem.

DISPUTATIO XVIII.

Utrum donatio ſponſalitiæ largitatis inter ſponſos de futuro, valida ſit? & quando acquiratur ei cui donatur?

SUMMARIUM.

Sponſalitia largitas quid ſit; & quando convenit inter ſponſos ut ad donantem in nullo caſu revertatur, ſtatim acquiritur in quocumque eventu donatario, n. 1.

Ubi nullum initur pactum, olim reputabatur donatio ſimplex, & irrevocabilis, hodie habet tacitam conditionem ſi matr. ſequatur: eoque conſummato perficitur, 2.

Quando matr. non ſequitur culpa donantis, an teneatur ſolvere quod promiſit, & reſtituere ſponſalitiam largitatem, quam accepit. Et quid, ſi caſu, ut alterius morte, & interveniat oſculum vel copula, aut non interveniant, vel culpa donatarii non ſequatur, vel abſque utriuſque culpa ingreſſus religionis, 3.

Quid, ſi ſponſus donaverat jocalia ſponſæ, & e contra, & alterius morte minime ſequatur matr. oſculumque ſolum adfuit, an teneatur ſponſus integre reſtituere jocalia accepta, ſponſa autem ſolam dimidiam acceptorum partem, 4.

An ſponſa lucretur hanc dimidiam partem per oſculum, ſive præcedat, ſive ſequatur jocalium donationem, n. 5. Et ibi, quid ſi ſponſa non ſit virgo, cum ſponſus talem eſſe eam exiſtimet; remiſſive.

Quid, ſi oſculum vel copula ſint, antequam contrahantur ſponſalia, 6.

Quid, ſi ſponſalia ſint conditionalia, & ante conditionis adventum accedat oſculum, aut copula, 7.

An per ſolum amplexum lucretur ſponſa aliquid ſponſalitiæ largitatis, 8.

Sponſo repetenti jocalia an incumbat probare ſe dediſſe ob matrimonii cauſam, & ſponſæ interceſſiſſe oſculum, aut copulam, aut copula ſponſi diſſoluta eſſe ſponſalia, 9.

An hæc ſint correcta per jus novum Caſtellæ, 10.

An ut acquiratur hæc ſponſalitia largitas per oſculum, aut copulam requiratur animus donandi, & valeat oppoſitum pactum, n. 11. Et an inſinuatio deſideretur, n. 12.

An in foro conſcientiæ procedat hæc legum diſpoſitio, 13.

An acquiratur, ubi uxor nullam dotem attulit, Et qualiter tunc ſit taxanda, & valeat, quando donatur poſt matr. de præſenti conſummatum, aut non conſummatum, ſive ſecutis benedictionibus Ecc. ſiæ, ſive eis non ſecutis, remiſſive, 14.

1 HActenus de donationibus inter conjuges in genere, diſputavimus; jam de quadam donatione, nimirum, ſponſalitiæ largitatis, diſputandum eſt. Qua in re primo agendum eſt, quo pacto acquiratur, aut deperdatur ſponſalitia largitas? Deinde, quo tempore, & in qua quantitate donanda ſit, ne cenſeatur donatio prohibita inter virum & uxorem? Tandem, quæ dona tradita ſibimet, ab ipſis ſponſis, vel ab eorum conſanguineis, aut extraneis, cenſeantur ſponſalitia largitas? In præſenti ergo diſputatione quæritur, quid deſideretur, ut ſponſalitia largitas efficiatur ſponſi, aut ſponſæ, cui donatur?

2 I. Concluſio. Sponſalitia largitas eſt donatio facta inter ſponſos de futuro matr. ineundi ſpe, ejuſque cauſa. (ut dixi hoc l. 6. d. 1. n. 1. ubi quibus nominibus appellari ſoleat, explicui.) Hujus autem donationis ea eſt natura, ut pacto inito inter ſponſos, ne ad donantem ullo caſu redeat, ſtatim acquiritur irrevocabiliter donatario, quamvis nec copula, nec oſculum intercedat; & ejus culpa matr. non ſequatur, *l. 1. verſ. igitur, ff. de don. l. Si mater, C. de don. ante nupt.* Cujus ea eſt ratio, nam tunc eſt donatio ſimplex & pura, nec jure ullo prohibita: cum non fiat inter conjuges, nec referatur in tempus matr. contracti: quæ ſola donatio prohibita eſt: juxta dicta hoc lib. 6. d. 1. n. 2 & 6. Sic *gl. inſtit. de don. §. Eſt & aliud, verb. Exequentur, fi. Gom. Arias l. 50. Tauri, n. 2. Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 2. Matienzo l. 5. recop. t. 2. rubr. gl. 3. n. 3.*

3 II. Concluſio. Nullo pacto inter ſponſos inito, olim reputabatur donatio abſoluta, ſtatimque irrevocabilis, & ut cenſeretur facta ſub conditione matr. ineundi, oportebat eam conditionem exprimi, *l. 1. v. Igit. ff de don. & l. 2. & l. Si filiæ & l. Si tibi, C. de don. ante nupt.* Jure autem noviori ea conditionis expreſſio minime deſideratur, ſed ex legis diſpoſitione, præſumptaque contrahentium voluntate tacite ineſt. Habetur expreſſe *l. Cum veterum, C. de don. ante nupt. & l. 3. t. 11. p. 4.* quare ſecuto matr. firma & pura remanebit, tamquam ſecuta conditione: ut (dicemus diſp. ſeq.) Sic *gl. Gom. Arias n. 3. Ant. Gom. n. 2. Matienz n 2. alleg. n. præced. Molina t. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 290. init.* Quod ſi objicias, qualiter poſſit valere hæc donatio, cum referatur ad tempus contracti matrimonii? Dic minime omnino referri, cum matr. non ſecuto culpa alterius, lucretur donatarius totam donationem, & non ſecuta abſque culpa, lucretur ſponſa per oſculum dimidiam partem: ut ſtatim dicemus.

III. Concl. Si matr. minime ſequatur: diſtinguendum eſt ſic. Aut non contrahitur ob ſolius donantis culpam: & tunc donans ſive ſit ſponſus, ſive ſponſa, perdit quam ſponſalitiam largitatem dederat, fietque accipientis, & ſi aliquid acceperat, reſtituet integre: & ſi quid promiſit, tenetur ſolvere. Si vero ob donatarii culpam, reſtituet donanti quod ab ipſo recepit. Hæc habentur expreſſe *l. Cum veterum, C. de don. ante nupt.* Quod autem dicimus de amittenda ſponſalitia largitate, intelligendum eſt in hoc regno Caſtellæ, modo ea non excedat quantitatem, quæ titulo ſponſalitiæ largitatis donari poteſt: de qua quantitate dicemus diſp. 24. Quia jura tantum diſponunt amitti ſponſalitiam largitatem: is autem exceſſus in hoc regno minime valuit, nec fuit ſponſalitia largitas. Si autem caſu minime conſummetur matr. ut alterius morte, ſi ſponſa receperit a ſponſo largitatem ſponſalitiam, oſculumque interceſſerit, acquiret dimidiam ejus partem, alteramque donanti reſtituet: (quando autem interceſſit copula, vel matr. de præſenti, nondum tamen conſummatum, quid acquirat, dicam diſp. ſeq.) Si vero ſponſa donaverat ſponſo, nil ſponſalitiæ largitatis acquiret ſponſus per oſculum, ſed integre reſtituet. Habetur expreſſe *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. & l. 3. t. 11. p. 4.* Et ratio differentiæ eſt, nam ſponſus ob oſculum nihil amittit, in nulloque gravatur: at ſponſa ruborem, ac verecundiam patitur, & non ita facile nuberet, hoc matr. non ſecuto. Deinde, quia ſponſa potius videtur oſculum dare, quam accipere: ut habetur *l. 3. t. 11. p. 4.* id eſt, videtur dare ſpe remunerationis accipiendæ a ſponſo, eo quod muliebris ſexus avariſſimus ſit. Quando autem abſque culpa, ut ingreſſu religionis, voto, amiſſione oculi, vel culpa alterius, data occaſione juſta diſſolvendi ſponſalia? dicam diſp. 21.

4 Hinc infertur, ſponſo donante jocalia ſponſæ, & ſimiliter ſponſa ſponſo, caſuque ut morte non ſecuto matrim. vel eo diſſoluto ante conſummationem, ſi oſculum interceſſit, reſtituenda eſſe ſponſæ integra jocalia, quæ dedit: ipſam autem ſolam dimidiam partem acceptorum teneri reſtituere. Quia ſponſus oſculo nihil comparat, & proinde integra jocalia reſtituit, ſponſa autem oſculo dimidiam partem acquirit, quare ſolam reliquam reſtituere tenetur. Sic *Cynus l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. fine, Jo: Lup. rubr. de don. §. 3. fine.*

5 IV. Concl. Sive oſculum præcedat, ſive ſequatur jocalium donationem, modo poſt inita ſponſalia accedat oſculum, comparat ſponſa medietatem jocalium. Prob. ex verbis expreſſis, *l. 52. Tauri, hodie l. 4. t. 2. l. 5. recop. Caſtellæ*, ibi, *gane ſi el eſpoſo la uviere beſado, la mitad de todo lo quel el eſpoſo lo uviere dado, antes de conſumido el matrimonio.* Ubi ſolum conſiderat lex, ut jocalia ante matr. conſummationem donentur: ergo nihil refert, data ſint, an non, ante oſculum. Et quamvis jure communi non videatur hoc ita clare deciſum: nam *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt.* ſic dicitur, *rebus a ſponſo donatis, interveniente oſculo, &c.* unde poſſes aliquis exiſtimare res donatas debere præcedere oſculum. Verum id non conſiderat lex illa, ſed parum refert, cum militet eadem prorſus ratio, ob quam applicat medietatem jocalium per oſculum, ſive præcedat donatio, ſive ſequatur: utroque enim caſu ſponſa ruborem, ac damnum inveniendi difficilius alium virum patitur. Sic docent *Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 6. Matienzo l. 5. recop. t. 2. l. 4. gl. 3. n. 1. Azeb. ead. l. 4. n. 13. Barb. rubr. ff. ſol. matr. 2. p. n.* 112. Utrum autem ſi ſponſa non ſit virgo, cum ſponſus talem eſſe exiſtimet, lucretur hanc ſponſalitiam largitatem? dicam hoc 6. lib. diſp. 27. n. 3. & ſeq.

V. Concl. Oſculo, vel copula intercedente ante ſponſalia, 6 nihil per ea lucratur ſponſa. Quia qualitas adjuncta verbo, debet intelligi juxta verbi tempus, *l. In delictis, § Extraneus ff. de noxa.* cum ergo *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. & l. 3. t. 11. p. 4. & l. 54. Tauri*, loquatur de rebus donatis a ſponſis, debent intelligi, quando intervenit oſculum, poſtquam ſponſi ſunt. Præterea, quia actus culpabilis, ac pœna dignus, non eſt aliquo legali præmio afficiendus, *l. Sive hæreditas ff. de negot. geſt.* cum ſimilibus adductis per *Corneum, conſ. 76. vol.* 1. ſed illud oſculum ante ſponſalia eſt peccatum, & pœna dignum, ergo per illud non lucratur ſponſa præmium legale medietatis jocalium. Sic docent *Jo: Lup. l. 52. Tauri n. 7. & 9.* ubi *Caſtillo n. 6. & 7. Ant. Gom. n. 6. Cov. 4. decr. 1. p. c. 4. §. 14. Gom. Arias l. 50. Tauri n. 9. & 10. Mat. d l. 4. gl. 3. n. 3. Azeb. ea l. 4. n. 13. Guttier. 3. pract. q. 44. n. 7. Barb. rub. ff. ſol. matr. 2. p. n. 108. Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matr. c. 26. f. 1032.*

Hinc infertur, ſi ſponſalia ſint conditionalia per oſculum 7 datum ante conditionis eventum, nihil lucrari ſponſam: quia adhuc præcedit ſponſalia, actuſque culpabilis eſt. Quando autem tunc adeſt copula, dicam diſp. ſeq. n. 6.

VI. Concl. Si poſt ſponſalia ſolus amplexus abſque oſculo, 8 & copula intercedat, nihil comparabit ſponſa. Quia textus n. 3. relati expreſſe lucrum medietatis jocalium ſoli oſculo concedunt nec eadem de amplexu militat ratio, majorem enim ruborem patitur ſponſa propter oſculum. Sic tenent *Jo: Lup. l. 32. Tauri n. 18. Caſtillo ibi, n. 23. Azeb. l. 5. recop. tit. 2. l. 4. n. 31.*

Hinc infertur, ſponſum repetentem jocalia, quæ ſponſæ 9 donavit, quando per ipſum non ſtetit, quominus impleretur matrimonium, minime teneri probare ſe dediſſe ob cauſam, & eam non eſſe ſecutam: ſed ſatis eſſe probare, tempore donationis contracta fuiſſe ſponſalia. Quia (ut dixi n. 2.) intelligitur eum dediſſe cauſam matr. Sponſæ autem incumbere onus probandi oſculum, vel copulam interveniſſe, vel ſponſi culpa, diſsoluta eſse ſponſalia, vel aliter inter ipſos conveniſſe. Quia ut ipſa lucretur, aliquid horum deſideratur, quare cum hoc ſit ſuæ intentionis fundamentum, ipſius eſt illud probare. Sic *Jo: Lup. l. 52. Tauri, n. 12. & ibi Caſtillo n. 9. Matienzo l. 5. recop. 2. l. 4. gl. 4. n. 1.* Unde dum *Bald. l. Si præſidii, C. de don. ante nup.* aſſeruit teneri ſponſam probare ſe dediſſe ob cauſam, & eam non eſſe ſecutam, intelligitur ſecundum jus antiquum, quo attento, reputabatur donatio abſoluta: ut dixi n. 2.

Unde non eſt audiendus *Caſtillo l. 52. Tauri n. 21. verſ. Adde ſed iſta lex*, aſſerens *l. 12. Tauri, hodie l. 4. tit 2 l. 5. recop.* correctam eſſe per *l. 101.* in curiis Madriti, hodie *l. 1. tit. 2. ejuſdem l. 5. recop.* ubi diſponitur non poſſe ſponſalitiam largitatem excedere octavam dotis ſponſæ partem. Sed bene eum reprobat *Azebedo l. 5. recop. tit. 2. l. 4. n. 32.* quia cum ſub *eod. tit.* 2. utraque lex collocetur, credendum minime eſt ſub eodem titulo eſſe legum correctionem. Deinde quia hæ leges nullo pacto ſibi adverſantur, ſed tantum illa lex prima limitat legem quartam, ne ſponſalitia largitas, quæ per oſculum, vel copulam conjugalem acquiritur, poſsit in quacumque quantitate donari, ſed in octava dotis ſponſæ parte. 10

VII. Concluſio. Ut ſponſa lucretur hanc jocalium medie- 11 tatem per oſculum, vel integram per copulam, non deſideratur animus donandi in ſponſo, ſed ſatis eſt, ſi de animo contrario non conſtet per expreſſam inter eos conventionem. Quoniam ubi non initur oppoſitum pactum, leges relatæ n. 3. applicant per oſculum medietatem jocalium, & per copulam ea integra. Sic colligitur ex *Jo. Lup. rubr. de donat. §. 5. fin.* ubi poſtquam late dubitaverat, an animus donandi deſideretur: ait ad ſedanda hæc dubia editam fuiſse *d. l. 52. Tauri.* Et tenet *Azebedo lib. 5. recop. t. 1. l. 4. n. 4. & n. 20.* Valeret autem oppoſitum pactum. Quia donatio ſponſalitiæ largitatis eſt voluntaria.

VIII. Concluſio. Quamvis donatio hæc ſponſalitiæ largi- 12 tatis excedat ſummam, quæ abſque inſinuatione donari nequit, juxta *l. Sancimus, C. de don.* valida eſt abſque inſinuatione. Quia *l. 52. Tauri*, indiſtincte decidit valere hanc donationem, acquirique per matr. conſummationem, & *l. 1. t. 2. l. 5. recop.* ſolum reſtrinxit hanc donationem, ne in ea quantitate ſit, ut octavam dotis ſponſæ partem excedat. Sic *Mol. to. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 290. §. Quintum eſt.*

Ultima concluſio. Harum legum diſpoſitio procedit in foro 13 con-

conſcientiæ, & ita ſponſa acquirens jocalia ob cauſas prædictis legibus definitas, tuta conſcientia ea retinet. Quia hæ leges juſtæ ſunt, & optimæ rationi innituntur, per oſculum enim ſponſa ruborem patitur, & aliquam honeſtatis diminutionem difficiliuſque nubet: ergo æquitas poſcit, ut in præmium dimidiam jocalium partem conſequatur, non autem integram, ſed per copulam, qua matrimonium, conſummatur, impleturque conditio, ſub qua donatio hæc fit. Sic docent *Menchaca de ſucceſſ. creat. l. 1. §. 1. n. 26. ad fin. Azebedo, lib. 5. recop. t. 2. l. 4. n. 18.*

14 Utrum autem valeat ſponſalitia largitas promiſſa ſponſæ nullam dotem afferenti, qualiterque ſit tunc taxanda? dicam hoc 6. l. diſp. 24. n. 6. Et an valeat, quando donatur matr. conſummato, aut nondum conſummato, ſive ſecutis, ſive non, benedictionibus Eccleſiæ? dicam tota diſp. 23.

DISPUTATIO XIX.

An acquiratur ſponſalitia largitas per ſolum matr. de præſenti non conſummatum, etiam traductione ad ſponſi domum ſecuta, aut per copulam præcedentem matrimonium.

SUMMARIUM.

Quando conſummatur matr. acquirit ſponſa integra jocalia, n. 1.
Non requiritur traductio ad ſponſi domum, nec benedictiones Eccleſiæ deſiderantur, 2.
Per ſolum matrimonium abſque conſummatione, & oſculo, nil lucratur ſponſa, 3.
Quid, ſi ſecuta ſit traductio ad ſponſi domum, vel benedictiones Eccleſiæ receptæ ſint, 4.
An ſi poſt ſponſalia accedat copula, lucretur ſponſa aliquid jocalium, 5.
Quid, ſi ante ſponſalitia ſit copula, vel poſt ſponſalia conditionalia, non purificata conditione, 6.
An ſponſus lucretur hanc ſponſalitiam largitatem ſibi donatam a ſponſa, per matrim. conſummationem. Refertur opinio negans, 7.
Si donata ſit a ſponſa de futuro, lucratur totam ſponſus conſummato matrimonio, 8.
Quid, ſi a ſponſa de præſenti ante conſummationem matrim. donata ſit, Proponitur ratio dubitandi, nu 9. Et deciditur valore, n. 10.
Verba gratia frequentioris uſus poſita in lege, nec eam limitant, nec mutant in aliis juris diſpoſitionem, n. 11.

1 UT diſtincte procedamus, prius de ſponſa, qualiter conſummato matr. lucretur totam ſponſalitiam largitatem, erit ſermo. Deinde autem a n. 7. de ipſo ſponſo agemus. Et quidem conſtat, ſponſam comparare integram ſponſalitiam largitatem, matr. conſummatione. Prob. ex *l. Si a ſponſo C. de don. ante nupt.* ibi, *ſi ante nuptias hunc, vel illum mori contigerit.* Et *l. 3. t. 11. p. 4.* ibi, *ſi murieſſe ella ante que el matr. fueſſe acabado.* Et clarius *l. 52. Tauri hodie l. 4. tit. 2. l. 5. recop.* ibi, *pero ſi qualquier dellos muliere deſpues de conſumido el matr.* Et ratio eſt, quia tunc omnino perficitur conditio ineundi matr. conſummatione autem nondum accedente, non eſt perfecte impleta conditio, adhuc enim poteſt diſſolvi per alterius in religionem ingreſſum. Sic *Jo: Lup. l. 52. Tauri, n. 16. & rubr. de don. §. 4. n. 1. in fine, & init. Gom. Arias, l. 51. Tauri n. 5. Greg. Lop. l. 3. verb. Beſado, tit. 11. n. 4.*

2 Nec deſideratur traductio ſponſæ ad ſponſi domum. Quia textus nu. præced. allegati, ſolum conſiderant matrimonii conſummationem, ad integra jocalia comparanda. Sic *Villalobos in concordia juris civilis, & regii, littera D. verb. Donatio, n. 24. Olanus in concordia, littera D. verb. Donatio, n. 69. Azebedo l. 5. recop. t. 2. l. 4. n. 2. & 3.* Et eadem ratione non deſiderantur Eccleſiæ benedictiones.

3 Hinc infertur, per matrimonium ratum non ſecuto oſculo nihil lucrari ſponſam, ſi tunc diſſolveretur morte, vel alio modo, abſque culpa, ut profeſſione religionis. Quia nondum eſt verificata perfecta conditio ineundi matr. cum conſummatum non ſit, nec medietas ſponſalitiæ largitatis acquiratur oſculo deficiente: ut diximus diſp. præced. n. 3. Sic *Jo: Lup. rubr. de donat. §. 4. init.*

4 Limitat autem *Greg. Lop. l. 3. verb. Beſado t. 11. p. 4.* niſi traductio ſponſæ ad domum ſponſi ſecuta ſit, tunc enim ait acquirere ſponſam totam ſponſalitiam largitatem. Quia præſumitur copula per talem traductionem, & ita cenſetur quoad hunc effectum jam matr. conſummatum. Sed hæc limitatio diſplicet: quia *l. 52. Tauri,* ponderat matr. vere conſummatum eſſe, ibi, *pero ſi conſumido el matrimonio.* At vere non conſummatur matr. niſi per copulam: ergo ante eam, quantumvis ſponſa traducta ſit ad ſponſi domum, non acquiret integram ſponſalitiam largitatem. Sic *Jo: Lup. rubr. de don. §. 4. n. 1. fi. & l. 52. Tauri n 16. & Caſtillo ibi n. 17 fine,* & melius *n. 18. ad fi. Azeb. l. 5. recop. t. 2. l. 4. n. 2.* Qui *n. 32.* hoc limitat, niſi benedictiones Eccleſiæ ſecuta ſint, tunc enim ait per traductionem ad domum acquiri totam ſponſalitiam largitatem. Sed hoc caret fundamento. Quia cum copula non acceſſerit, matrim. nondum conſummatum eſt.

5 Quando autem poſt ſponſalia de futuro intercedit copula, acquiret ſponſa integram ſponſalitiam largitatem. Quia jam matrim. conſummatum eſt: per *c. Is qui fidem, de ſponſ.* Sic *Jo: Lup. rubr. de don. §. 4. initio: Ant. Gom. l. 52. Tauri, n. 3. Matienzo l. 5. recop. t. 2. rub. gl. 3. n. 3.* Quod tamen jure antiquo veriſſimum erat. Hodie autem cum per *Trid. ſeſſ. 24. de matr. c. 1.* ceſſarint matrimonia præſumpta, & copula illa minime conſummentur, non acquiretur per eam ſponſalitia largitas. Sic *Matienzo ibi, n. 4. Molina t. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 290. §. Quando autem:* ubi addit: tunc non plus conſequi ſponſam per copulam, quam per ſolum oſculum: unde videtur ſupponere conſequi medietatem jocalium, ſicut per oſculum, Sed hoc non caret difficultate: quia cum copula illa illicita ſit, pœnaque digna, non eſt afficienda præmio legali medietatis lucrorum, quali leges afficiunt oſculum, quod inter ſponſos de futuro licitum eſt. Qua ratione diſp. præc. n. 6. diximus per oſculum præcedens ſponſalia, nihil ſponſalitiæ largitatis acquiri. Verum placet per eam copulam acquiri medietatem ſponſalitiæ largitatis. Quia leges minime conſiderarunt, an oſculum, vel copula, licita ſint, ſed ruborem, & detrimentum ſponſæ, quæ graviora ſunt copula ſecuta, quam ſolo oſculo intercedente. Nec obſtat objectio contraria, quia oſculum præcedens ſponſalia prorſus culpabile eſt nullamque excuſationem habet: ac copula poſt ſponſalia quamvis coram Deo culpa lethalis ſit, at in foro externo, hominumque exiſtimatione non tribuitur culpæ, nec infamiæ feminæ: cum fiat ſpe proximi matr.

6 Inquires autem, quid dicendum ſit de copula habita poſt ſponſalitia conditionalia, nondum impleta conditione? (Quando enim ante ſponſalia habita eſt, dixi diſp. præc. n. 6.) Et quidem, ſi liberum non ſit contrahentibus a conditione recedere, ut ſi impediti contrahant ſponſalia ſub conditione. Si Pontifex diſpenſaverit: manifeſtum eſt per copulam ante diſpenſationem habitam nihil acquiri. Quia cum conditio nondum impleta ſit, copula illa omnino præcedit ſponſalia. Si autem liberum erat contrahentibus a conditione recedere, erat enim pendens ex eorum voluntate, ut ſi duo contrahant ſponſalia, ſi ſponſa tantam dotem attulerit, tunc videtur per copulam acquiri medietatem jocalium: quia per eam videtur receſſum a conditione: juxta *c. Per tuas, de condit. appoſ.* & ita copula illa habetur poſt ſponſalia abſoluta. Sed dicendum eſt nihil acquiri: quia attento *Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de matr.* per eam copulam non receditur a conditione; (ut probavi l. 1. diſp. 26. n. 12.) & proinde copula illa omnino præcedit ſponſalia perfecta, & vera: quo caſu nihil per eam acquiritur; ut dixi diſp. præced. n. 6.

7 Hucuſque de ſponſa ſermo habitus eſt, quid acquirat per copulam. De ipſo autem ſponſo difficultas eſt, an conſummato matr. acquirat totam ſponſalitiam largitatem, ſeu jocalia donata ſibi a ſponſa? ſicut diximus n. 1. lucrari tunc ſponſam integra jocalia, quæ ſibi ſponſus donaverat. Aliqui negant acquirere, dicentes teneri ea integre ſponſæ reſtituere, niſi aperte conſtet de animo donandi. Quia *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. & l. 3. t. 11. p. 4. & l. 52. Tauri, hodie l. 4. t. 2. l. 5. nove recop.* in hoc caſu nihil diſponunt, ſed tantum quando ſponſus donaverat ſponſæ: & licet ſint correlativa, non eſt eadem ratio. Præterea, quia ſexus femineus avariſſimus eſt, raroque eum donare præſumitur: ut expreſſe habetur *in l. Si a ſponſo, & l. Si ſtipulata, §. Si uxor, ff. de don. inter vir. & ux. & l. Si ego, ff. ad S. C. Vellejan & l. 3. t. 11. p. 4.* quare in viro præſumitur animus ea jocalia donandi, ſecus autem in femina. Et ita in hanc partem magis propendet *Gom. Arias l. 50. Tauri n. 19.* Et tenet *Azebedo l. 5. recop. tit. 2. l. 4. n. 16.*

8 Quamvis autem DD. non ita diſtinguant, duplex in hoc caſus eſt diſtinguendus. Prior, cum ſponſa de futuro donat jocalia ſponſo. Poſterior, cum ſponſa de præſenti. Et in priori caſu, contra priorem ſent. dicendum eſt, matr. conſummatione lucrari ſponſum integra jocalia ſibi a ſponſa de futuro donata. Prob. ex *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt.* ibi, *quod ſi ſponſa donationis titulo fuerit aliquid ſponſo largita, & ante nuptias hunc, vel illum mori contigerit, ad donatricem ſponſam, ſive ejus ſucceſſores donatarum rerum dominium transferatur.* Quod idem clarius explicuit *l. 3. t. 11. p. 4.* ibi, *Et ſi murieſſe ella ante que el matrimonio fueſſe acabado, eſton ce en tal caſo como eſte, quier ſe han beſado, o non, deve tornar la coſa dada a los herederos de la eſpoſa:* ergo a contrario ſenſu nuptiis ſecutis, ſeu matrim. conſummato non tenebitur ſponſus jocalia ſibi donata reſtituere, ſed ea integre acquiret. Argumentum enim a contrario ſenſu eſt fortiſſimum in jure, *l. 1. §. Hujus rei, ff. de offic. ejus cui manda, eſt juriſd.* cum aliis, quæ congerit, *Everardus loco a contrario ſenſu, n. 1.* Præterea, quia *l. Cum veterum, C. de don. ante nupt.* deciditur id, quod datur a ſponſo ſponſæ, veram donationis rationem habere, factæ ſub ſpe, ac tacita conditione futuri matr. & *ibi in fine,* ſic concluditur, *quæ ſimiliter obſervari oportet, etſi ex parte ſponſæ in ſponſum donatio facta ſit:* ergo ſicut donatio ſponſi ſponſæ integre acquiritur a ſponſa, conſummato matrim. eo quod tunc purificetur conditio, & proinde manet donatio abſoluta, & pura: ſimiliter eadem ratione donatio ſponſæ, ſponſo, quæ eamdem tacitam conditionem habet, manebit tunc pura, & abſoluta, & integre ſponſi erit. Sic docent *Jo: Lup. rubr. de don. §. 4. init. & l. 52. Tauri n. 13.* ubi, *Caſtillo n. 11. & 12. Ant. Gom. n. 3. Avendano de exequend. mand. 1. p. c. 15. n. 3. fin. Matienzo l. 5. recop. t. 2. l. 4 gl. 4 n. 2. Guttier. 3. pract. q. 44. fine.*

9 In poſteriori autem caſu, quando ſponſa de præſenti donat. ſponſo, urgentior eſt difficultas, an conſummato matr. ſponſus donata lucretur? Videtur enim minime eum lucrari, Quia jure communi, & partitarum hujuſmodi donatio inter ſponſos de præſenti facta non valebat, ſolum valet jure noviori hujus regni Caſtellæ, per *l. 52. Tauri, hodie l. 4. t. 2. l. 5. recop.* ut dicemus hoc 7. l. diſp. 23. n. 1. at ea lex tantum agit, quando ſponſus donat ſponſæ de præſenti, decernitque ſponſam integram jocalia acquirere: ergo cum omittat, quando ſponſa de præſenti donat ſponſo, hic caſus omiſſus remanebit in juris communis diſpoſitione, *l. Commodiſſime, ff. de l. & poſthu.* atque ita ea donatio non acquiretur matr. conſummato. Et confir. quia ea lex eſt juris communis correctoria, & conſequenter non extendenda ultra caſum in quo diſponit: eo vel maxime, quia non eſt eadem ratio in utroque caſu.

10 Ceterum dicendum eſt, etiam in hoc caſu acquirere ſponſum integra jocalia, matr. conſummatione. Prob. quia quamvis *d. l. 52. Tauri* nihil diſponat in donatis per ſponſam de præſenti, ſponſo, at cum ſponſus, & ſponſa ſint correlativa, diſpoſitum in uno, cenſetur in alia diſponi. Lex enim nova corrigens in uno correlativorum, cenſetur in altero corrigere, *l. fin. C. de indicta viduit.* ubi notant *Bart. Angel. Jaſon,* cum multis aliis, quos refert, & ſequitur *Everard. loco a correlativis, n. 7.* nec in hoc caſu eſt diverſa ratio, ſicut diximus diſp. præc. n. 3. eſſe diverſam, quando eſt donatio inter ſponſos de futuro. Quia quando inter ſponſos de futuro, ex natura contractus conditionem implicitam futuri matr. conſummati habentis, nil debebatur jocalium ſponſæ, aut ſponſo, quando caſu ſolvitur matr. non conſummatum: at leges decreverunt per oſculum acquirere ſponſam, medietatem propter ruborem, quem patitur: qui cum in ſponſo ceſſet, non habet in eo locum eadem diſpoſitio: At conſummato matr. ratio acquirendi integra jocalia eſt natura ipſa contractus, tunc enim purificatur conditio, ſub qua jocalia donata ſunt; quod cum æque militet in donatis per ſponſam, ac in donatis per ſponſum, lex nova extendens jus antiquum, ut intelligatur in donatis per ſponſum de præſenti, idem cenſetur diſponere in donatis per ſponſam ſponſo de præſenti: eo quod ſint correlativa, militetque eadem ratio. Præterea, quia verba poſita in lege gratia frequentioris uſus, nec eam limitant, nec in aliis juris diſpoſitionem mutant: ſed quia aliud rarum, poſitum vero in lege eſt frequens, ideo hoc explicatur, illo tacito. Ut docent optime *Gl. Clem. 1 v. Præſidentes, de reſcr. Rebuff. de nominat. q. 5. n. 3. Peralta l. Lucius la 1. n. 22. ff. de leg. 2. Acoſta c. Si pater ver. Si abſque liberis n. 16. de teſt. in 6. Pelaez de Meres de major. 1. q. 31. n. 4. Valaſcus conſ. 8. n. 2. t. 1.* At *lex 52. Tauri,* explicat donata a ſponſo ſponſæ, ſubticens donata a ſponſa ſponſo: quia illud eſt frequens, hoc autem rariſſimum, ut habetur *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. & l. 3. tit. 11. p. 4.* ergo illa verba poſita gratia frequentioris uſus non reſtringunt legem nec mutant in aliis juris diſpoſitionem tradentis diſpoſitum in uno correlativorum, cenſeri in altero diſpoſitum. Tandem, quia *l. 52. Tauri,* intendit id, quod jure communi ſtabilitum erat circa donata per ſponſos de futuro, extendere ad ſponſos de præſenti. Cum ergo (ut probavi n. 8.) jure communi donata per ſponſos de futuro, acquirerentur tam ſponſo, quam ſponſæ conſummato matr. idem dicendum eſt attenta *d. l. 52. Tauri inter ſponſos de præſenti.* Sic docent *Avendano de exequend. mandat. 1. p. c. 15. n. 3.* Idem clare docet *Ant. Gom. l. 52 Tauri n. 4.* ubi poſtquam *n. 3.* dixerat, donata per ſponſum ſponſæ, & e contra, acquiri alteri per copulam: dicit *n. 4. init.* per eam legem omnia, quæ dicta ſunt in ſponſis de futuro, habere etiam locum in ſponſis de præſenti. Videtur etiam tenere *Matienzo l. 5. recop. t. 2. rubr. gl. 3. n. 3. fine,* ubi dicit idem quod *Ant. Gom. eo. n. 4.* Videtur etiam tenere *Guttier. 3. practic. q. 44. fine,* ubi inquit diſtinctionem *l. 52. Tauri,* non procedere in donatis a ſponſa ſponſo, niſi copula intercedat. Ad arg. contrarium, & confirmationem propoſitam n. præc. conſtat ex dictis: jam enim oſtendimus inter ſponſos de præſenti militare eamdem rationem.

DISPUTATIO XX.

An quando ſponſalia fuere nulla ob aliquod impedimentum, ut conſanguinitatis, &c. & ſic diſſolvuntur, lucretur ſponſa medietatem ſponſalitiæ largitatis per oſculum, & per copulam matrimonialem, integre?

SUMMARIUM.

Proponuntur caſus quatuor diſcutiendi, n. 1.
Quando uterque ignarus fuit impedimenti, proponitur opinio negans, 2.
Contraria verior, n. 3. Et ibi, non lucratur uxor arrhas Hiſpanas in hoc caſu.
Solvuntur argumenta, 4.
Quando uterque conjux conſcius impedimenti fuit, refertur opinio aſſerens, nec dantem poſſe repetere, nec recipientem retinere, ſed fiſcum vendicare, n. 5. Et alia opinio, dicens eſſe reſtituenda jocalia danti, n. 6. Et opinio authoris, n. 7. Ubi, an reſtituendum ſit acceptum ob injuſtitiæ crimen admittendum, aut ob hominem interficiendum.
Solvuntur argumenta, 8.
Quando ſponſus ignoravit, ſponſa ſciente impedimentum, nihil lucratur ſponſa, ſed tenetur reſtituere ſponſo, 9.
Quando ſponſa ignoravit, ſponſo ſciente, lucratur per oſculum medietatem, & per copulam integre, 10.

1 QUadruplex poteſt eſſe caſus. I. quando uterque ſponſus ignarus impedimenti fuit. II. quando uterque fuit conſcius. III. quando ſponſus ignoravit, ſponſa ſciente. IV. e contra, quando ſponſa ignoravit, ſponſo ſciente.

2 In I. caſu, quando uterque ignarus impedimenti fuit; quidem cenſent nihil ſponſalitiæ largitatis comparare ſponſam per oſculum, vel copulam. Ducuntur, quia ſponſalitia largitas habet tacitam conditionem. Si matr. ſequatur, *l. Cum veterum, C. de don. ante nupt.* at in hoc eventu matr. minime poteſt ſubſequi, impedimento juris obſtante, & hoc abſque culpa ſponſi illius ignari: ergo nil lucratur ſponſa. 2. quia ſponſalitia largitas acquiritur per oſculum datum inter veros ſponſos de futuro, aut de præſenti, quoad medietatem: & per veram copulam conjugalem, integre: at hic ne vera ſponſalia, nec vera copula matrimonialis adſunt. Sic docent *Salic. l. Si a ſponſo n. 2. C. de don. ante nupt. & ibi Fulg. Ant. Gom. l. 52. Tauri n. 7.* & non diſtinguentes a ſponſi ignorarint, necne docent idem *gl. d. l. Si a ſponſo, verb. Non interveniente, Ciſuentes l. 52. Tauri ad finem.*

3 Verius tamen eſt lucrari ſponſam medietatem per oſculum, & per copulam integre. Prob. ex *l. 3. t. 11. p. 4.* ibi, *pero ſiempre ſe entiende que el deve tornar a quello que recibe, ſi por ſu culpa fincha, que el matr. non ſe faga.* Ergo a contrario ſenſu, ſi abſque culpa ſua matr. non ſequatur: ut contingit in præſenti caſu, acquiret ſponſa largitatem ſponſalitiam. 2. quia id lucrum pertinet ad ſponſam in præmium amiſſi pudoris: ergo cum in hoc caſu inculpabiliter amiſerit, comparabit id lucrum. Sic docent *Jo: Lup. l. 52. Tauri n. 4. & rubr. de don. §. 36. n. 7. Matienzo l. 5. recop. t. 2. l. 4 gl. 2. n. 2. Azebedo ea l 4. n. 10.* Intellige tamen, quando bona fides interceſſit. Quia ignorantia fuit juſta, & probabilis: ſecus ſi fuerit craſſa, vel ſupina, quæ bonam fidem excludit, nec coram Deo excuſat. Sic *Jo: Lup. l. 52. Tauri, n. 4.* Arrhas tamen credo non lucrari uxorem in hoc caſu. Quia non conſideratur in arrhis abſque culpa uxoris diſſolvi matr. ſed acquiruntur conſummato vere matrimonio: quod hic non contingit. Sic *Barboſa l. 2 p. 1. in princ. n. 158. ff. ſolut. matr.* male tamen pro ſe Antonium Gomez, & contra ſe Jo: Lupum refert: cum uterque loquatur in ſponſalitia largitate.

4 Ad arg. propoſita n. 2. reſp. 1. Ad 1. dic, non poſſe ſequi efficaciter matrim. poſſe tamen ſequi quoad exiſtimationem, impedimento ignorato: atque ita poſſe inveniri veram futuri matr. ſpem, ob quam fit hæc donatio. Ad 2. dic, ſatis eſſe copulam exiſtimatam bona fide conjugalem, & ſponſalia ſimilia, pudoremque omiſſum eſſe per oſculum, ſpe futuri matrimonii bona fide ineundi.

5 In II. caſu, quando uterque impedimenti fuit conſcius. Quidam credunt nec dantem poſſe repetere, nec recipientem retinere, ſed fiſcum vendicare. Ducuntur per *l. Cum hic ſtatus, 33. §. fin. ff. donat. inter vir. & uxor. & l. Qui contra, C. de inceſt. nupt.* Sic *Joan. Lup. rubr. de don. §. 36. num. 7. verſ. Si igitur donatio. Ant. Gom. l. 52. Tauri, num. 7. Matienzo l. 5. recop tit. 2. l. 4. gloſ. 2. n. 2.* Et in hoc caſu ſponſam nihil lucrari, docent etiam *Caſtillo l. 52. Tauri n. 3 Ezebedo l. 5. recop tit. 2. l. 4. num. 10.*

6 Alii opinari poſſent nequire ſponſam retinere, nec teneri fiſco reſtituere ante judicis ſententiam, ſed ſponſo danti. Non poſſe retinere probatur, quia culpa ſua pudoris jacturam fecit, abſque ſpe veri, aut exiſtimati bona fide matr. ergo non eſt præmio legali afficienda, ratione illius actus culpabilis, pœnaque digni. 2. quia hæc non eſt donatio abſoluta: cum ſit ſponſalitia largitas, in cujus natura imbibitum eſt, ut fiat ſub ſpe futuri matr. veri, vel bona fide exiſtimati. Prob. autem, non fiſco, ſed danti reſtitui debere. Quia fiſcus vendicat in pœnam: ergo judicis ſententia deſideratur.

7 Quamvis autem hæ duæ ſent. probabiles ſint, verius mihi videtur poſſe ſponſam retinere, donec fiſcus per ſententiam auferat. Ducor, nam donans ex falſa cauſa, nec falſitatis ignarus, cenſetur donare, abdicatque a ſe dominium, transferens illud in donatarium, ſi hic non reddatur aliqua lege illius incapax: (ut probavi hoc lib. 6. d. 2. n. 2.) qua ratione dixi ibi, donationem factam inter conjuges putativos valere, quando neutrum latuit impedimentum, nec teneri donatarium reſtituere, donec condemnetur. Sed in hoc caſu ſponſum donantem minime latuit impedimentum, falſaque matr. ſpes: non ſponſa lege aliqua incapax dominii comparandi redditur, ſed ſolum in pœnam jus auferendi fiſco conceditur, quæ condemnatione indiget: ergo non tenetur reſtituere. 2. quia quando turpitudo verſatur ex parte utriuſque melior eſt poſſidentis conditio: ut conſtat ex *toto t. ff. de condict. ob turp. cauſ.* Qua ratione probabiliſſimum eſt in datis ob turpem cauſam, etiam contra juſtitiam, cum ex parte utriuſque adeſt turpitudo, ut in pecunia data ob homicidium perpetrandum, &c. non teneri accipientem reſtituere, donec ſententia ſubſecuta fiſcus auferat. Quod defendunt *Menald. in ſumm. verb. Reſtitutio 2. Angel. Reſtitutio, nu. 1. §. Turpe, & verb. Concluſio, Nav. ſumm. c. 17. Hiſpane, n. 32. & 95. Lat. nu. 30. & 96. & c. 25. Lat. & Hiſpane n. 34. Alcocer*

cocer ſumma, c. 26. inter peccata judicum, & §. El teſtigo, Palacios l. 5. de contract. c. 11. f. 482. verſ. At vero cum dictum ſit, & ſeq. (quamvis non ſibi conſtet, nam contrarium tenet 4. d. 15. diſp. 7. f. 168. verſ. Verum ſi judex.) Molina t. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 94. f. 562. Banes 2. 2. q. 2. art. 3. dub. 3. Nav. l. 4. de reſt. c. 2. in nova edit. dub. 12. n. 101. & ſeqq. Enriquez l. 7. de indulg. c. 35. nu. 4. Philiar. de offic. Sacerd. t. 2. p. 2. l. 6. c. 25. §. Pro quorum ſol. ad finem: Lud. Lop. 2. inſtructori de eleemoſyna cap. 106. f. 374. col. 2, Manuel 2 to. ſummæ, c. 40. n. 2. ergo cum noſtro caſu turpitudo verſetur ex parte utriuſque, melior erit conditio ſponſæ poſſidentis, ne teneatur accepta reſtituere. Atque ita in propriis terminis docet Joan. Lup. l. 52. Tauri n. 5. licet aliquantulum dubius.

8 Ad arg. 1. ſent. propoſitæ n. 5. dic, eas leges eſſe penales, atque ita judicis ſententiam deſiderari. Ad 1. ſecundæ ſent. propoſitum n. 6. dic, ſponſam non conſequi ſponſalitiam largitatem in eo caſu, virtute legum eam applicantium per oſculum, aut copulam: ſed vi donationis: quæ præſumitur facta a ſponſo conſcio impedimenti: ut probavi n. 7. Ad 2. negatur eſſe veram ſponſalitiam largitatem: ſed eſt donatio facta per hunc ſponſum impedimenti conſcium, inſtar veræ ſponſalitiæ largitatis: & proinde non requiritur veritas ſponſalium, aut vera matrimonii ſpes.

9 In III. caſu, quando ſponſum ſolum latuit impedimentum: dicendum eſt teneri ſponſam illius conſciam impedimenti, reſtituere integre donanti. Quia culpa ipſius non perficitur matr. ſponſaliaque falſa fuerunt, & cauſa donandi falſa fuit, donante ignaro, & ſponſa donataria conſcia. Sic Jo: Lup. l. 52. Tauri, n. 5. & rubr. de don. §. 3. fin. Caſtillo l. 52. Tauri, n. 3. ubi Ant. Gom. n. 7. Matienzo l. 5. recop. t. 2. l. 4. gl. 2. n. 2. Azebedo ea l. 4. n. 10.

10 In IV. caſu, quando ſponſa ignoravit ſponſo ſciente, dic lucrari ſponſam per oſculum medietatem jocalium, integramque per copulam. Conſtat rationibus adductis nu. 3. Sic Jo: Lup. l. 52. Tauri, n. 5. ubi Ant. Gom. n. 7. Matienzo l. 5. recop. t. 2. l. 4. gloſſ. 2. n. 2.

DISPUTATIO XXI.

Utrum quando ſponſalia diſſolvuntur abſque utriuſque culpa, non tamen caſu, ut morte, ſed data opera, aut ingreſſu religionis, voto caſtitatis, amiſſione oculorum, mutuo conſenſu, lucretur ſponſa per oſculum, dimidium ſponſalitiæ largitatis? Vel ſi alter ſponſus culpa ſua cauſam diſſolvendi juſtam præbeat, ut quia in longinquum profectus, debito tempore expectatus non redit, vel fornicatus eſt, lucretur ſponſus innocens, aut ſponſa reſiliens a ſponſalibus, integram ſponſalitiam largitatem?

SUMMARIUM.

Proponuntur arg. ad probandum nil lucrari ſponſam, quando abſque utriuſque culpa, non tamen caſu diſſolvuntur ſponſalia, num. 1.

Tunc ſponſus nihil lucratur ex ſibi a ſponſa donatis, 2.

Lucratur ſponſa in hoc caſu per oſculum medietatem jocalium, abſque illo nihil, 3.

Si ſponſa ingrediatur religionem, & ſic facto ſuo diſſolvantur ſponſalia, comparat oſculo medietatem jocalium: & idem, ſi facto ſponſi religionem ingredientis, 4.

Idem, ſi voto caſtitatis alterutrius, vel aliis modis licitis, diſſolvantur ſponſalia, 5.

Quid, ſi mutuo conſenſu, diſſolvantur, n. 6. Et quid, ſi non ſimul uterque ſponſus concurrat in eadem voluntate, n. 7. Et ibi explicatur, quando ultima mora non noceat.

Quando alter præbet juſtam diſſolvendi cauſam, ut quia fornicatus eſt, &c. is, qui præbuit cauſam, ſive ſit ſponſus, ſive ſponſa, perdit totum, quod donarat, & reſtituet quod accepit, 8.

Solvuntur arg. n. 9. Et ibi, arg. a contrario ſenſu non habet vim, quando contrarium decidit ur in jure.

1 ET quando non caſu, ſed data opera, abſque utriuſque ſponſi culpa, diſſolvuntur ſponſalia, nihil ſponſam lucrari: videtur probari ex leg. 1, quia tunc nulla eſt culpa donantis ſponſi, ergo quidquid dederat, recuperat: quoties enim abſque donantis culpa matr. non perficitur, reddendum eſt illi quidquid dederat: (ut dixi hoc 6. l. d. 18. n. 3.) Et confirmatur, quia ſi ſponſa dederat jocalia ſponſo, & abſque culpa diſſolvantur ſponſalia, reſtituet integre ſponſus: ergo idem eſt quando ſponſus dederat. Cum enim ſint correlativa, diſpoſitum in uno, cenſetur in alio diſponi, l. ſi C. de indicta vid. 2. qua l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. & l. 3. tit. 11. p. 4. ſolum decidunt quando caſu, ut morte dirimuntur ſponſalia, comparare ſponſam per oſculum medietatem jocalium: ergo non ſunt extendendæ in ſponſi præjudicium, ad alios caſus, quibus inculpabiliter ſponſalia diſſolvuntur. Tertio probatur ex l. Cum veterum C. de don. ante nupt. ibi, ſi ſponſus, vel parentes ejus fortiri noluerint filium uxorem, ſi quid ab eo donatum fuerit, nec repetatur traditum. Ubi gl. verb. Noluerint, inquit, ſine cauſa: ergo a contrario ſenſu ex juſta cauſa reſiliens ſponſus, quamvis ſine culpa ſponſæ, repetet quidquid dederat.

2 I. Concl. ſit. Quando abſque culpa utriuſque ſponſi diſſolvuntur ſponſalia, licet non caſu, ut morte, ſi ſponſus jocalia receperat a ſponſa, tenetur integre reſtituere, quamvis oſculum interceſſerit. Quia per oſculum ſolum nihil lucratur ſponſus (ut dixi hoc l. 6. diſp. 18. n. 4.) & ex alia parte, culpa ſponſę non intervenit in ea diſſolutione. Præterea, quia expreſſe hoc colligitur ex *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. & l. 3. tit. 11. p. 4.* ubi diſponitur ſponſalibus diſſolutis morte alterius, & ita abſque utriuſque culpa, ſponſum nihil lucrari per oſculum.

3 II. Concl. Sponſa tamen in hoc caſu lucratur per oſculum medietatem jocalium, & illo non intercedente, nihil. Prob. ex *l. Cum veterum, C. de don. ante nupt.* ibi, *quod ſi ſponſa cauſam non contrahendi matr. præbuerit, tunc ſponſo, vel ejus hæredibus ſine aliqua diminutione redhibeatur.* Et clarius *l. 3. tit. 11. p. 4.* ibi, *deve tornar aquel que recibe, ſi por ſu culpa finca que el matr no ſe compla:* ergo quoties a contrario ſenſu abſque ſponſæ culpa diſſolvuntur ſponſalia, jus acquiſitum per oſculum ad dimidiam jocalium partem non amittet. Non enim æquum eſt, ut abſque culpa puniatur, *l. Aliud eſt fraus, 131. in princ. ff. de verb. ſign.* ibi, *pena ſine fraude eſſe non poteſt: & reg. Sine culpa, de reg. jur. in 6.* Sic *Jo: Lup. l. 52. Tauri n. 3. Mol. t. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 290. §. Quando autem.* Pro eadem ſent. ſunt Doctores allegati diſp. præc. n. 3. dicentes, ſponſalibus diſſolutis ob impedimentum, cujus uterque conjux ignarus erat, lucrari ſponſam per oſculum medietatem jocalium: cum tamen tunc uterque culpa vacaverit.

4 Hinc infertur, ſi ſponſalia dirimantur per ingreſſum ſponſę in religionem, & ita facto ſuo inculpabili tamen, lucrari ſponſam per oſculum medietatem jocalium, quia abſque culpa diſſoluta ſunt. Conſtat etiam ex *c. Decreta legalia 27. q. 2.* ibi, *decreta legalia deſponſatam, ſi converti voluerit, nullo modo conſueverunt damno mulctare.* Et ex *l. Deo nobis, C. de epiſc. & cler.* ubi decernitur, ſponſam ingredientem religionem non teneri duplicatas arrhas reſtituere, quas tamen reſtituere tenetur, facto ſuo culpabili a ſponſalibus reſiliens. Sic docent *Gl. d. c. Decreta legalia, fine, Corneus conſ. 228. vol. 1. Jo: Lup. l. 52. Tauri, n. 3. & ibi Cifuentes, verſ. In eadem l. Caſtillo n. 3. Ant. Gom. n. 8. Cov. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 4. n. 12. Greg. Lop. l. 3. verb. Lamit. tit. 11. p. 4. Mat. l. 5. recop. tit. 2. l. 4. gl. 2. n. 1. Azeb. ea l. 4. n. 9. & 17. Mol. t. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 290. §. Habent vero locum.* Similiter lucrabitur ſponſa eam medietatem per oſculum, ſi inculpabili ſponſi facto, ut ingreſſu ejus in religionem, dirimantur ſponſalia. Quia ſponſa vacat culpa, & proinde non debet amittere medietatem illam per oſculum acquiſitam. Sic *Joan. Lup. Azebedo, Molina ibidem.*

5 2. Infertur, quoties caſtitatis voto ſponſi, vel ſponſæ dirimuntur ſponſalia, (retenta opinione probabili per illud dirimi,) ſimiliter lucrari ſponſam, eam medietatem, per oſculum: idemque in aliis caſibus, in quibus licite abſque alterius culpa ſponſalia diſſolvuntur. Ut conſtat ex dictis, n. 3.

6 Excipiendum tamen eſt unicus caſus, nimirum, quando mutuo conſenſu utriuſque ſponſi dirimuntur, ſponſalia: quamvis enim neuter culpæ particeps ſit, nil lucratur ſponſa per oſculum, ſed integram reſtituet ſponſalitiam largitatem. Quia eo ipſo quod communi conſenſu reſiliunt ſponſi, videntur tacite pactum inire, ut quilibet eorum alteri accepta reſtituat. Argumento, *l. Si diverſa, C. de tranſact.* ibi, *ſi diverſa pars contra placitum agere nititur, æquitatis ratio ſuadet, refuſa pecunia, (cum & tu hoc deſideres) cauſam ex integro agi:* ubi *gl. verb. Refuſa, & verb. Pecunia,* ait, *id eſt, reſtituta pecunia tranſactionis nomine data.* Sic docent *Cynus. Jac. de Aret. Sal. n. 2. l. Cum veterum, C. de don. ante nupt. Angel. §. Eſt & aliud, el 2. inſt. de don. Jo: Lup. rubr. de don. §. 3. n. 5. Caſtillo l. 52. Tauri, n. 4. Gom. Arias l. 50. Tauri n. 4.*

7 Diſſidet autem inter hos DD. quid dicendum ſit, ubi ſponſi non ſimul diſſentiunt, ſed ſucceſſive: quia nunc, v. g. ſponſus invita ſponſa reſilit: & poſtea tamdem ſponſa conſentit, vel e contra *Cynus, Jac. de Aret & Gom. Arias n. præc. allegati,* dicunt hanc ultimam moram nocere reſilienti: argumento *l. Illud 17. ff. de peric. & commodo rei ven. & l. Si mora, 10. ff. ſol. matr.* Unde ſponſa nil ſponſalitiæ largitatis conſequetur in hoc eventu, ſed perinde erit, ac ſi ſimul reſiliant. Verius tamen eſt, hanc ultimam moram minime nocere reſilienti, atque ita ſponſum, vel ſponſam ultimo conſentientem diſſolutioni ſponſalium, comparare integram ſponſalitiam largitatem. Quia eo ipſo quod alter injuſte reſilierat, acquiſivit conſentiens jus ad retinendam ſponſalitiam largitatem ſibi donatam, vendicandamque quam donarat, *l. Cum veterum, C. de don. ante nupt.* Quare cum executio facta ſit a lege ſtatim, & ipſo facto, mora illa purgari nequit. Juxta doctrinam *Bartoli l. Si inſulam n. 19. & ibi Alex. & Ang. ff. de verbor. oblig.* ubi docent minime purgationi moræ locum tribui, quando executio facta eſt a lege: & argumento *l. Si is evi, 19. ff. de leg. 2.* Sic docent *Ang. Jo: Lup. Caſt. n. præc. elleg. & Salicet d. l. Cum veterum n. 2.* in hanc partem, quamvis dubius magis inclinat. Quare leges quas contrarii pro ſe allegant, intelligendæ ſunt, quando executio non eſt facta a lege, nec jus eſt perfecte acquiſitum.

8 III. Concl. Sponſus, aut ſponſa licite a ſponſalibus recedens alterius culpa ut fornicatione, vel profectione in partes longinquas, nec tempore debito redeunti, lucratur integre ſponſalitiam largitatem ſibi donatam, recuperatque quam donarat. Prob. ex *l. Cum veterum, §. C. de don. ante nupt.* ubi ſponſum, & ſponſam in hoc parificat. Sic *Caſtillo l. 52. Tauri n. 5.* Et conſtat ex dictis hoc l. 6. d. 18. n. 3. ubi probavimus pares in hoc eventum eſſe ſponſum, & ſponſam, quando alterius culpa matrimonium non perficitur.

9 Ad arg. propoſita n. 1. reſp. Ad 1. dic, quando ſine culpa donantis ſponſæ diſſolvuntur ſponſalia, eam recuperare totum quod dedit, ſi vero ſponſus donaverat, perdere medietatem, ſi ſponſa culpa vacet, oſculumque receperit. Ad confirm. dic, diſpoſitum in uno correlativorum, habere locum in altero, ubi eadem ratio militat: ſecus ubi diverſa, *l. Curatorem,* cum ibi notatis per ſcribentes, *C. de interdicto matr.* Docetque *Ever. loco a correlativis, n. 8.* At in hoc caſu diverſa militat ratio (ut probavi hoc 6. l. diſp. 18 n. 3.) Ad 2. dic, cum *Jo: Lup. l. 52. Tauri n. 4 & 5.* explicaſſe eas leges caſu mortis, quia frequentius morte diſſolvuntur ſponſalia, non autem eo quod nolint extendi ad alios caſus, in quibus eadem ratio ſubeſt, nempe, quando abſque ſponſæ culpa diſſolvuntur, Cum enim ſubſit eadem ratio, idem eſt jus, *l. Cum pater, §. Dulciſſimis, ff. de leg. 2.* Ad 3. dic argumentum a contrario ſenſu non procedere, ubi oppoſitum eſt aliquo jure ſtatutum, & ita jurium correctio induceretur: ut colligitur ex *c. A nobis, el 2. de ſent. excom.* docentque *Abb. ibi n. 4. & Fel. n. 2. verſ. Nota quod argumentum gl. c. Significaſti, verb. Clerici, de foro compet.* & ibi late *Fel. gl. c. unico, verb. Permittimus, de ætate, & qualit. in 6. & ibi Francus, n. 3. Nav. apolog. ad l. de red litib. q. 1. monito 44. n. 2. Everard. loco a contrario ſenſu, n. 8. Greg. Lop. l. 17. verb. Deſcendiſſem, tit. 1. p. 6. Mantica de conj. ult. vol. l. 3. tit. 15. n. 13. Guttier. 1. pract. q. 3. n. 14.* At hic eſt contrarium deciſum in jure, *l. Si a ſponſo, C. de don. ante nupt. & l. 3. tit. 11. par. 4.*

DISPUTATIO XXII.

An ſi arrhæ in matrimonio interveniant, lucretur ſponſa matr. conſummato, integre ſponſalitiam largitatem, & arrhas, vel detur optio? & ſi matrimonium caſu non ſequatur, & adſit oſculum, poſſit ſponſa eligere medietatem jocalium, vel arrharum?

SUMMARIUM.

Quando arrhæ interveniunt in matr. & jocalia, an poſſit uxor vel ejus hæredes eligere, & intra quantum tempus nu. 1. Et ibi, ſi donatio jocalium fuit invalida, & morte confirmatur, uxor eam ſimul cum arrhis habebit. Ubi autem ſemel elegit, nequit variari, n. 2.

Si electio non habuit effectum, poteſt variari, nu. 3. Et ibi, actus inutiliter geſtus cenſetur ac ſi factus non fuiſſet.

Tranſactis 20. diebus ad electionem conceſſis, purgatio moræ non admittitur, 4.

An uxore, vel ejus hæredibus eligentibus arrhas, reſtituenda ſit ſponſalitia largitas ejuſdem æſtimationis, cujus erat quando nata eſt, 5.

Quot ſint quæſtiones diſputandæ, 6.

Verbum Volo, abſque infinitivo adjuncto, facit diſpoſitionem, & electionem, 7.

Idem, ſi adjungatur infinitivo importanti executionem, 8.

Idem, ſi infinitivum importet actum expediendum ab alio, at volens tantum debet explicare voluntatem ſuam, 9.

Si infinitivum non importet executionem, ſed actum deſiderantem factum aliquod, non facit verbum Volo, electionem, & diſpoſitionem, n. 10. Idem, ſi contineat actum pendentem ex duorum voluntate, 11.

Idem, quando infinitivum importat ſuſpenſionem, ſeu actum in futurum gerendum: ut Volo eligere, 12.

Quid, ſi tunc adjungatur dictio, Omnino, 13.

Quid, ſi aliquis poſt terminum conceſſum ad deliberandum, diceret, Volo eligere, vel puto hoc mihi expedire, 14.

Quid, ſi ad interrogationem ejus cujus intereſt, diceret, Volo eligere, 15.

Quibus verbis cenſeatur uxor eligere arrhas, 16.

An ſicut per oſculum lucratur ſponſa medietatem jocalium, ita ſi ſolæ arrhæ interveniant, lucretur medietatem arrharum, Vel ſi utrumque interveniat, poſſit eligere, Refertur opinio affirmans, 17.

Contraria authoris, n. 8. Et ibi, explicatur natura dictionis adverſativæ, Sed, at, vero. Et verba debent intelligi juxta ſubjectam materiam, & naturam contractus. Et ibi arrhæ acquiruntur per conſummationem matrimonii.

Una & eadem res diverſo jure cenſeri non debet. Et quando lex unum diſponit, & alterum præſupponit, ut habeat locum, diſpoſitum, debet verificari præſuppoſitum, 18.

Solvuntur arg. n. 19. Et ibi juncto, n. 17. quod juris eſt de toto quoad totum, eſt de parte, quoad partem. Et quando clauſula poſita in una parte diſpoſitionis, referatur ad omnia in ea contenta.

1 CONſtat ſi conſummato matr. decedat ſponſa, vel ſponſus, dari electionem ſponſæ, vel ejus hæredibus, ut eligere poſſint arrhas, vel ſponſalitiam largitatem, ſi utraque in eo matrimonio interveniant. Hæc autem electio neceſſario facienda eſt intra viginti dies, poſtquam vir, vel ejus hæredes requiſierint uxorem, aut ejus hæredes: & ſi eo termino non elegerint, viro, vel ejus hæredibus conceditur electio, an malint ſponſalitiam largitatem, vel arrhas dare. Habetur expreſſe *l. 52. Tauri, hodie l. 4. t. 2. l. 5. novæ recop.* Quod intellige, quando donatio ſponſalitiæ largitatis fuit valida, ut ſi facta ſit ante conſummatum matrimonium: ſi enim eſſet invalida, quia conſummato matrimonio effecta eſt, morteque confirmaretur, compararet ſponſa arrhas, & eam donationem, quia *l. 52. Tauri,* loquitur de donatione ſponſalitiæ largitatis valida: unde quando invalida eſt, ſequitur naturam aliarum donationum inter conjuges, quæ morte confirmantur. Nec lex aliqua prohibet harum donationum una cum arrhis acquiſitionem. Sic *Barboſa, ff. ſoluto matr. rubr. 3. part. n. 112.*

2 Hinc infertur, uxori, aut ejus hæredibus ſemel eligentibus arrhas, aut jocalia, non licere variare. Prob. ex *l. Servi electione, in princip. ff. de leg. 1.* ibi, *ſervi electione legata, ſemel tantum optare poſſumus.* Et *l. Apud Aufidium 20. ff. de optione legat.* ibi, *ſi dixiſſet quæ vellet, mutare voluntatem non poſſe.* Et *l. 25. t. 9. p. 6.* Deinde, quia quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt: *regul. Quod ſemel, de reg. jur. in 6.* Sic *Jo: Lup. l. 52. Tauri n. 19. & ibi Caſtillo n. 26. Matienzo l. 5. recop. tit. 2. l. 4. gl. 7. n. 2. Meres de maj. 1. p. q. 52. n. 10.*

3 Intellige tamen, ſi electio ea effectum habuerit, ea enim ſuo effectu deſtituta, licebit uxori, vel ejus hæredibus variare: per *l. Qui per ſalutem, ff. de jurejur.* Quia eligens inutiliter, & invalide, cenſetur quaſi non elegerit: actus enim inutiliter geſtus perinde eſt ac ſi non eſſet, *l. Si aut nullam, C. de legit. hæred. l. 4. §. Condemnatum, de ſent. & re judic.* Non enim præſtat impedimentum, quod de jure ſortitur effectum: *reg. Non præſtat, de reg. jur. in 6.* Atque in genere eum, cui conceſſa eſt electio, poſſe iterum eligere, priori electione exiſtente nulla, docent *gl. l. Apud Aufidium, verb. Non poſſe, ff. de opt. legat. & l. Servi, de elect. in princ. verb. Poſſumus, ff. de legat. 1.* ubi *Jaſon num. 3. Bart. l. 2. ff. de opt. legat. Felinus* multa cumulans ad hoc comprobandum, *c. Ex tenore, nu. 2. & ſeq. de reſcrip. Tiraq. l. Boves, §. Hoc ſermone, tota limit. 1. ff. de verb. ſignif Gregor. Lop. l. 25. verb. Arrepentir, l. 9. p. 6. Peralta l. Unum ex familia, §. Sed ſi uno, n. 3. ff. de legat. 2.* Et in noſtris terminis docent *Matienzo, & Meres, num. præced. alleg.*

4 2. Infertur, tranſactis iis diebus ad electionem faciendam, purgationem moræ non admitti. Quia eſt terminus lege præſtitutus. Sic *Meres de major. 1. p. 48. nu. 7. Azebedo, l. 5. recop. tit. 2. l. 4. num. 32.*

5 3. Infertur, uxorem, vel ejus hæredes eligentes ſoluto matrimonio arrhas, teneri viro, vel ejus hæredibus reſtituere ſponſalitiam largitatem ejuſdem valoris, cujus erat receptionis tempore: quod ſi uſu deterior facta ſit, teneri æſtimationem deteriorationis reſtituere, Quia reddita non videtur res reſtitutioni obnoxia, ſi deterior reſtituatur: ut expreſſe habetur *l. 3. §. Si reddita, ff. commodati,* ubi notant ſcribentes. Deinde, quia cum donatio ſponſalitiæ largitatis tacitam habeat conditionem, niſi ſponſa arrhas elegerit, eaſque eligente, tacite pactum de illa reddenda initum ſit, per *l. 52. Tauri,* res trahitur ad ſui initium, & ita reddenda eſt ſecundum æſtimationem, quam tempore traditionis habuit: alias evenire poſſet uſu conſumptam eſſe, & ita uxorem nil teneri reddere, ſed lucrari arrhas, & ſponſalitiam largitatem. Sic *Ajora de partitionibus, 1. p. c. 7. n. 35.* Hoc tamen caute accipiendum eſt: nam cum veſtes tam quotidianæ, quam pretioſæ datæ per virum ante conſummatum matr. ſponſæ, ſint ſponſalitia largitas (ut dicam diſp. 25. n. 30.) & has teneretur ſponſus dare ſponſæ, ſaltem ad uſum, conſtante matrimonio, quando juxta perſonæ facultatem, & dignitatem neceſſariæ ſunt,! nec ſoluto matrimonio teneretur uxor eas reddere, niſi in eo ſtatu, in quo tunc inveniebantur: deducendum eſt ex hac reſtitutione ſponſalitiæ largitatis juxta æſtimationem, quam tempore traditionis habuit: quod vir alias conſumpturus cum uxore, durante matr. in iis veſtibus, & jocalibus, niſi ſponſalitiam largitatem dediſſet: & ſi eædem veſtes eſſent conficiendæ, & conſummandæ, ſeu deteriorandæ, non reſtitueretur id pretium conſumptionis, vel deteriorationis, ſiquidem expendendum erat a viro.

6 His præmiſſis, duplex eſt quæſtio diſputanda. Prior quando per verbum, Volo, cenſeatur uxor eligere? Poſterior, an liceat ſponſæ per oſculum ſibi acquirere medietatem jocalium, aut arrharum, & ſi ſolæ interſint arrhæ, medietatem arrharum?

7 Quæſtio I. quando uxor utens verbo Volo, cenſeatur eligere? Hujus deciſio pendet ex cognitione, quando verbum Volo, faciat electionem, ac diſpoſitionem in actibus inter vivos. (Nam quando in ultimis voluntatibus, non eſt præſentis diſputare; conſulendi tamen ſunt *Bart. l. 1. n. 3. & ibi Jaſon in 2. lectura, a n. 7. C. de ſum. Trinit. idem Bart. l. Servi elect. in princip. n 4. & ibi Jaſon. a nu. 33. ff. de leg. 1. Com. Arias l. 50. Tauri, n. 46. Menoch. de arbitr l. 2. centuria 5. toto caſu 496. & de præſumpt. l. 4. præſumpt. 100.*) Ut autem ſciatur, quando faciat electionem, & diſpoſitionem in actibus inter vivos, ſtatuam aliquot regulas.

8 I. Regula ſit. Verbum *Volo* poſitum abſque infinitivo adjuncto importat diſpoſitionem, & electionem, ut Volo hanc rem. Ita aperte colligitur ex *l. Apud Aufidium, ff. de optione l.* ibi, *ſi is dixiſſet quæ vellet, mutare voluntatem non poſſe.* Et ratio eſt, quia tunc nullus alius actus propriæ, aut alienæ voluntatis expectatur ad illius complementum, & perfectio

ctionem: ergo inducit diſpoſitionem: Item, quia in rebus certis non eſt locus conjecturis, *l.Continuus*, *§.Cum ita*, *fine*, *ff. de verb. oblig.* ergo cum in eo eventu certa videatur eligendi voluntas, non eſt quærenda alia conjectura. Sic docent *Bart.l.Servi electione*, *in princip. n.4. & ibi Jaſon n. 32. ff. de leg. 1. idem Bart. l.1. n 3. & ibi Jaſon in 2. lectura*, *n.14. C. de ſumm. Trinit. Gom. Arias l.50. Tauri*, *n.48. Menoch.* alios referens, *de arbitrar. l.2. cent.5. cau.496. n.7. & 8.* Pro eadem ſent. ſunt DD. qui dicunt matr. iniri his verbis, Volo te in uxorem, quos retuli l. 1. diſp. 18. n. 10.

II. Regula. Si adjungatur infinitivo importanti executionem, & complementum, importat electionem, & diſpoſitionem; ut Volo habere, vel accipere. Quia ſatis aperte declaratur voluntas eligendi, cum non apponatur verbum, quod ſuſpenſionem aliquam denotet. Sic *Jaſon. d. l. Servi electione*, *in princip. n.24. Menoch. d. caſu 496. n.28.29.* Ejuſdem ſent. ſunt Doctores aſſerentes, hujuſmodi verba, Volo te habere, vel accipere in uxorem, efficere matrimonium: quos retuli lib. 1. diſp. 18. n. 24.

9 III. Regula. Si jungatur infinitivo importanti actum expediendum ab alio, voleníque tantum habeat ſuam voluntatem explicare, importat mandatum, & diſpoſitionem. Ut, Volo te gerere negotia mea, *l.1. in fi. ff. mandati*. Quia cum actus per alium expediendus ſit, ſatis eſt volentem ſuum exprimere conſenſum, tantumque alterius executio expectatur. Sic *Bart. d. l.1. n.3. & ibi Jaſon in 2. lectura n. 15. & 16.* dicens eſſe rem indubitatam: idem *Bart. d. l. Servi electione*, *in princ. n. 4. & ibi Jaſon*, *n. 31. Bald. auth. Et qui jurat*, *n.17. C. de bonis auctorit. judic. poſſid. Menoch.* alios referens, *de arbitr. l. 2. centur. 5. caſu 496. n.12. & 13.*

10 IV. Regula. Si jungatur infinitivo importanti actum non expedibilem ſola voluntate, ſed requirentem factum aliquod, non importat diſpoſitionem. Ut Volo aſcendere arborem, vel comedere: non enim importat me aſcendere, vel comedere, ſed deſiderium. Regula eſt manifeſta, & eam tradunt, *gl. l. In vendentis*, *verb. In vendentis*, *C. de contrahen. empt. Bart. l.1. n.3. & ibi Jaſon in 2. lectura n.17. C. de ſum. Trinit.*

11 V. Regula. Si jungatur infinitivo importanti actum, qui fieri nequit ex voluntate unius, ſed deſiderantem mutuum duorum conſenſum, tunc non importat diſpoſitionem, niſi utriuſque conſenſus accedat, ut Volo vendere. Cujus rationem aſſignat *Bart. l.1. n.3. C. de ſum. Trinit.* quia ea verba intelligi debent ſecundum naturam contractus, *l. Si uno ff. locati*, *l. Si ſtipulatus*, *ff. de uſuris*: cum ergo natura emptionis, & venditionis ſit, ut ex duorum voluntate pendeat, prædicta verba non diſponunt niſi utriuſque voluntate ſecuta. Sic *gl. & Bart. n prac. cit. Jaſon ea l. 1. in 2. lectura n.24.*

12 Ultima regula. Si jungatur infinitivo importanti ſuſpenſionem in futurum, ſeu actum alium tempore futuro gerendum, non importat diſpoſitionem. Ut Volo eligere. Quia tantum importatur animus, & voluntas faciendi actum electionis. Sicut l.1. diſp.18. n.24 diximus, hæc verba, Volo tecum contrahere matr. non eſſe verba matr. conſtituentia, ſed tantum explicantia contrahendi voluntatem. Sic *gl. l. Servi elect. in princ. verb. Poſſumus*, *ff. de leg 1. & ibi Bart. n.3. Jaſon*, *n.24. Ripa n.16. Gom. Arias l.50. Tauri n.46. Menoch.* alios referens *d. Caſu 496. n.18. 19. & 26.* hoc extendit cum *Ruino*, licet juret ſe velle eligere. Quia ſenſus eſt, jurare ſe habere animum eligendi.

13 Hæc tamen ultima regula intelligitur 1. niſi addatur dictio, *Omnino*: ſi enim quis ſic diceret. Omnino volo eligere, tunc erit electio. Sic *Ripa d. l. Servi electione*, *in princ. fine*, *Socin. ſenior conſ.249. n.17. & 19. l 2. Ruinus conſ.204. n.6. l.2.* Sed merito *Menoch. eo caſu 496. n.27.* dicit eſſe dubiam hanc ſent. Et *n.53.* dicit forte non eſſe veram, niſi aliæ conjecturæ concurrant. Quia tantum eſt ſenſus, In omni eventu habeo voluntatem, & deſiderium eligendi: quod vere non eſt eligere. Et ita credo.

14 2. Intelligitur niſi termino ad deliberandum, & reſpondendum conceſſo jam elapſo, diceret aliquis. Volo eligere, tunc enim eſt electio: per *l. Sed & alio*, *in 2. reſpon. & leg. Omnes*, *qui ff. ad S.C. Treb.* Sic *Jaſon*, *ea l. Servi elect. in princ. n. 28. 29. & ibi Bart. n. 3. Ripa nu. 21. Alciat. n.7 Corn. Romanus*, *Gozadin.* quos refert, & ſequitur *Menoch. de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 100. num. 12. Greg. Lop. l. 11. verb. Deve fine t. 6. p. 6.* ubi idem dicit cum Bart. per eum relato, ſi tunc dicat, Puto hoc mihi expedire.

15 3. Intelligenda eſt, niſi ad interrogationem ejus, cujus intereſt, diceret, Volo eligere. Tunc enim eſſet electio. Quia reſponſio facta parti, cujus intereſt, debet intelligi, ita ut alter certus maneat. Ut notatur *l. In vendentis*, *C. de contrahend. empt.* Sic *Bart. d. l. Servi elect. in princ. n.3. & ibi Jaſon n.30. Corneus*, *conſ.91. lib.3. Rimnald. junior. l. Qui n.211. C. Unde liberi*, *Menoch. de arbitrar. lib. 2. centuria 5. caſu 496. n. 52. & de præſumpt. l. 4 præſumpt. 100. n. 13.*

16 Ex dictis infertur deciſio noſtræ quæſtionis, ſi enim uxor diceret, Volo arrhas, vel volo habere, vel accipere arrhas, eſſet electio: juxta dicta n.7. & 8. Quare tunc variare minime liceret. Idem dicendum eſt, ſi tranſactis diebus ad deliberandum, & reſpondendum conceſſis, vel ad interrogationem eorum, quorum intereſt, diceret uxor, Volo eligere arrhas juxta dicta nu. 14. & 15. Secus ſi deficientibus his circumſtantiis diceret, Volo eligere, vel omnino volo eligere, vel juro me velle eligere: non enim eſſet electio, juxta tradita num. 12. & 13.

Quæſtio II. An ſicut ſponſa per oſculum lucratur medietatem ſponſalitiæ largitatis: ita ſi in matrim. illo non interveniat ſponſalitia largitas, ſed ſolæ arrhæ, lucretur medietatem arrharum: & ſi utrumque interveniat, poſſit diſſolutis ſponſalibus, vel matr. illo rato, ſponſa eligere medietatem arrharum, vel ſponſalitiæ largitatis? *Gom. Arias l. 50. Tauri*, *n. 29.* defendit partem affirmantem, nempe, lucrari medietatem arrharum, quando eæ ſolæ interveniunt, & dari electionem ſponſæ, quando utrumque intervenit. Prob. 1. quia quod juris eſt de toto quoad totum, debet eſſe de parte quoad partem, *l. Quæ de tota*, *in princ. & ibi gl. & Bart. ff. de rei vendic.* & per alia jura quæ affert *Everar. in ſuis topicis loco a toto ad partem*, *n. 2.* ergo ſicut ſponſa conſummato matr. poteſt eligere integras arrhas, & ſi ſolæ hæ interveniant, eas lucratur, ita ante conſummatum matr. poteſt eligere arrharum medietatem, illamque lucratur, ſi ſolæ ſint in matr. arrhæ. Secundo probat, quia leges juris communis, & regni in hoc caſu diſponunt in ſponſæ favorem, quæ ob oſculum ruborem paſſa eſt: ergo ſunt extendendæ, ut concedant medietatis arrharum electionem, & acquiſitionem per ſolum oſculum. Nam odia reſtringi, favores convenit ampliari: *regula: Odia 25. de reg. juris in 6.* Tertio probat, quia una determinatio reſpiciens plura determinabilia, pariformiter ea determinat, prout unicuique convenit, *l. Jam hoc jure ff. de vulg. & pupil. l. fi. C. de ſent. & interloq.* At *l. 52. Tauri*, eſt una determinatio, in illis verbis, *pero ſi vuiere arras*, *puede eſcoger*, *&c.* ergo pariformiter determinat duos caſus in ea lege contentos, prout unicuique convenit, nempe, ut detur electio medietatis arrharum, ſi ſolum ſit oſculum, & integrarum, ſi copula. Et confir. quia clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia, *l. 1. C. de liber. præterit. l. Talis ſcripturæ*, *§. fi. ff. de leg. 1. c. Secundo requiris*, *de appellat.* ubi id communiter obſervant Doctores, & alios referens docet *Gut. conſ. 12. n. 27.* ergo illa clauſula, *in fine*, *l. 52. Tauri* poſita, *pro ſi vuiere arras*, *pueda eſcoger*, *&c.* refert ad duos caſus præcedentes contentos in ea lege, ſcilicet, ad caſum oſculi, & copulæ. 4. probat, quia ſi in hoc caſu, in quo deficit ſponſalitia largitas, non lucraretur ſponſa medietatem arrharum, pateretur ruborem per oſculum, & defraudata maneret. 5. probat, quia aperitur via ſponſis, ut conſtitutis arrhis nullam darent ſponſalitiam largitatem ſponſæ, nec illa per oſculum aliquid lucraretur. 17

His tamen non obſtantibus, contrarium teneo: licet nullum Auctorem, præter *Gom. Arias* hanc quæſtionem diſputantem invenerim, & ita cenſeo diſſolutis ſponſalibus, vel matr. ante conſummationem, non dari electionem medietatis arrharum ſponſæ per oſculum: & ſi ſolæ interveniant arrhæ, nil prorſus lucrari. Prob. 1. ex ipſo contextu *l. 52. Tauri*, nam poſtquam decrevit, ſponſam per oſculum lucrari medietatem ſponſalitiæ largitatis, ſubdit hæc verba, *pero ſi qualquier dellos muriere deſpues de conſumido el matr. quo gane todo lo que ſiendo deſpoſado los le vuo el es ſpoſo dado, no aviendo arras en el tal matrimonio*, *pero ſi vuiere arras*, *que ſe a en eſcogentia de la muier*, *&c.* ubi pondero id verbum, *Pero*, cui Latine correſpondet, ſed, quæ eſt dictio adverſativa, de cujus natura eſt, ut quando ponitur abſque copula, & adverſetur in jure, & in facto, ita ut diverſum caſum, & diverſum jus importet, Ut notat *Bart. l. Patris*, *& filii 20. ff. de vulg. n. 1. & l. 1. fine ff. Ne quis eum. Jaſon ea l. Patris*, *& filii*, *nu. 6.* dicens, ita tenere omnes: & *l. Qui uſumfructum 58. n.8. ff. de verb. obl* dicens eſſe communem: *Greg. Lop. l.1. verb. Su parte t.11. p.6. & l.15. t.3 verb. Et dia*, *p.6. Burg. de Paz. l.3. Tauri*, *n.85. Mat. l.5. recop. tit.4. l.2. gl.1. n.5.* At quando ponitur cum copula &, ut ſi dicat, ſed & tunc, denotat diverſum factum, idem tamen jus. Sic *gl. d. l. Patris*, *& filii verb. Per ſcripturam*, *verſ. Per copulam*, *& l.2. verb. Sed & fortius*, *ff. Ne quis eum, qui in jus vocatus eſt: Bart. & Jaſon proxime cit. idem Bart. l. Sed & ſi lege*, *initio*, *ff. de petit. hæred.* Cum ergo in præſenti lege ponatur abſque copula, importat diverſum factum, & diverſum jus: non ergo loquitur in caſu ſolius oſculi, de quo in priori parte, illa lex diſpoſuerat. Pondero etiam in *ea l. 52. Tauri*, dum de ſponſalitia largitate lucranda loquitur, eos vocare ſponſos, ibi, *qualquiera eſpoſa*: & ibi, *ſi el eſpoſo*, quaſi ſentiens, dum ſponſi ſunt, lucrari poſſe per oſculum dimidiam partem ſponſalitiæ largitatis: in ſecunda vero parte, dum de arrhis meminit, maritum & uxorem eos appellat, ibi, *que la mujer*, & ibi, *lo quel el marido*: quaſi aperte ſignificans arrhas non acquirit, niſi poſtquam copula carnali effecti ſunt una caro, & ſic vir & uxor. 2. probatur, quia *l. 52. Tauri* (ut fatentur omnes, & dicam diſp. ſeq. n. 1.) nil aliud in prima parte diſpoſuit, niſi quod jure communi ſtatutum erat, *l. Si a ſponſo*, *C. de don. ante nupt. & l.3. t.11. p.4.* ſolum extendit dicta jura loquentia de ſponſis de futuro, ut intelligantur etiam de ſponſis de præſenti: cum ergo præfata jura non loquantur de arrhis, nec per oſculum earum medietatem concedant, non eſt dicendum noſtram *l. 52. Tauri*, id concedere. 3. & prob. quia verba debent intelligi juxta ſubjectam materiam, & naturam contractus *l. Damni infecti*, *in principio ff. de damno infecto*, *l. Si uno*, *ff. Locati*, *& ibi Bart. & DD. Guttier*, *conſ 12. n.26.* at ea eſt natura arrharum, ut dentur in præmium pudicitiæ amiſſæ ob copulam matrimonialem: ut dicam hoc lib. 6. diſp. 27. n. 1. & ſic ut tunc acquirantur, ut optime dicit *Cov. 4. decret. 2. p. c 37. n.12. & c. Officii de teſtam. n.4.* quibus in locis ſic inquit: Arrhæ ſunt donationes factæ uxoribus in præmium pudicitiæ, ut eo conſummato ſtatim eis acquirantur. Idem *Gomes Arias l.49. Tauri*, *ad fi.* & idem ſupponit *Caſtillo l. 51. n.1.* & habetur *l.5. t.2. de las ganancias*, *l.3. fori*, ibi, *ſi arras le dio*, *y no* 18

vuo que ver con ella, *tornellas*. Quam legem uſu receptam eſſe ſupponit *Gom. Arias l.50. Tauri*, *n.29.* ſi quidem variis modis nititur ei reſpondere, ut contrariam tueatur ſententiam: & *Cov. & Caſtillo*, *& Mol. t.2. de juſt. tr.2. diſp.431. §. Quæ autem*, ſupponunt aperte ita eſſe in uſu, ſiquidem dicunt acquiri conſummato matr. Sed dices hoc procedere quoad integras arrhas lucrandum, non vero quoad medietatem, hæc enim per ſolum oſculum acquiritur. Hoc tamen non obſtat, quia eſt contra diſpoſitionem *l. Eum qui ædes*, *23.* & quæ ibi notant ſcribentes, *ff. de uſucap.* quæ habet unam & eamdem rem diverſo jure cenſeri non debere, ibi, *abſurdum eſt*, *ut una res diverſis temporibus uſucapiatur*. Eadem namque ratio eſt de totis arrhis, & de parte arrharum: argumento *l. Quæ de tota*, *ff. de rei vendic.* quam adverſus noſtram ſent. induxit *Gom. Arias*: ſi ergo natura arrharum eſt, ut totæ non acquirantur niſi conſummato matr. idem erit de natura partis arrharum. Tandem prob. quia quando lex unum diſponit, & alterum præſupponit, ut habeat locum diſpoſitum, debet prius verificari præſuppoſitum. Ut ex *gl. l. Mancipia*, *verb. Avocandum*, *C. de ſervis fugit.* colligunt omnes, teſte *Menoch. de recup. poſſeſſ. remedio 9. n.161.* & refert multos DD. *Gutier. conſ. 21. n. 6. & 3. pract. q.22. n.3.* ſed *l.52. Tauri*, præſupponit, quando acquirantur ab uxore arrhæ; de hoc enim non agit, ſed tantum diſponit, ut detur electio arrharum, vel ſponſalitiæ largitatis: ergo ut hæc electio, & diſpoſitio hujus legis locum habeat, debet prius verificari in ea præſuppoſitum, nempe jure acquiſitas eſſe arrhas (quod ut probavi) non verificatur, niſi poſt conſummatum matr.

16 Ad arg contrariæ ſent. reſp. Ad 1. illud principium quod juris eſt de toto quoad totum, eſt de parte quoad partem, dico locum habere, ubi totius & partis non eſt diverſa ratio. Ut ex multis probat *Everardus in ſuis topicis juris*, *loco a toto ad partem*, *n.7.* At hic eſt diverſa ratio: nam natura arrharum eſt, ut non acquirantur niſi conſummato matr quare cum per ſolum oſculum non conſummetur, & ceſſat ratio eadem illas acquirendi, non aquiretur etiam pars illarum. Ad 2. dico, loqui eas leges in favorem mulierum, præſuppoſita aptitudine, & requiſitis ad lucrandum arrhas: eſt autem requiſitum ut matr. ſit conſummatum. Ad 3. nego eſſe unam determinationem *l.52. Tauri*, ſed ſunt duæ longe diverſæ, cum prior pars tantum loquatur in acquiſitione medietatis ſponſalitiæ largitatis: poſterior vero in omnimoda & totali acquiſitione ſponſalitiæ largitatis, & electione illius, vel arrharum. Ad confirmationem dico, clauſulam poſitam in una parte diſpoſitionis, ſive ponatur in principio, ſive in medio, ſive in fine, cenſeri referri ad omnia contenta in illa, quando omnium præcedentium eſt eadem ratio. Ut docet, *Decius*, quem refert & ſequitur *Nav. l. 5. conſiliorum*, *tit. de ſimon. in 1. edit. conſ.35. n.4. in 2 conſ. 92. n. 4. Bart. Jaſon. Rom. Alex. Socin. Capicius*, *Alciat. Bolognetus*, quos refert & ſequitur *Menoch. de præſumpt. l.4. præſumpt.181. n.2.* quod hic non contingit: quia cum de natura arrharum ſit, ut ſolum conſummato matr. acquirantur, & in priori parte illius legis tantum agatur de oſculo, & ſic ratio acquiſitionis deſideretur, poſterior pars quæ arrharum acquiſitionem ſupponit, & tantum diſponit de electione, non poteſt extendi ad contenta in ea priori parte. Ad 4. dico, non eſſe inconveniens, ut defraudata maneat, ſibi enim imputare debet permittenti oſculum, nulla data, vel promiſſa ſponſalitia largitate, cujus medietatem per id oſculum lucretur. Ad 5. dico, non eſſe inconveniens, eam viam aperiri, cum promiſſio & donatio arrharum, & ſponſalitiæ largitatis nulla lege cogente fiat, ſed ex mera voluntate: ut dicemus in tractatu de arrhis.

DISPUTATIO XXIII.

Quo tempore donari debeat ſponſalitia largitas, nec cenſeatur invalida, & donatio prohibita inter conjuges, an, ſcilicet, non tantum ante initum matrimonium, ſed etiam inito poſſit valide donari?

SUMMARIUM.

An poſſit donari ſponſalitia largitas inter ſponſos de præſenti, *n.1.*
Quid, *ſi donetur poſt traductionem ſponſæ ad domum ſponſi*, *nondum tamen conſummato matrimonio*, *2.*
Quid, *ſi conſummatum ſit matr. nondum tamen Eccleſiæ benedictiones receptæ ſint. Refertur opinio aſſerens valere*, *nu. 3. Et ibi*, *verba in lege poſita intelligenda ſunt juxta communem uſum*, *& ille eſt proprietati præferendus. Et contraria opinio verior*, *4.*
Caſu quo non valet, *quia matr. conſummato facta eſt*, *confirmatur donantis morte*, *n.5. Et ſolvuntur arg. 6.*
An ſi ſponſus ante conſummatum matr. mittat nuncio jocalia ſponſæ, *& ante nuncii acceſſum conſummet matr. valeat hæc donatio*, *7.*
An ſi donata ſit ſponſalitia largitas tempore nuptialium benedictionum, *matrimonio nondum conſummato valeat. Refertur opinio negans*, *n.8. Et ibi*, *proxime accingendus pro accincto habetur.*
Contraria verior n.9. Et quid de annulo dato ſponſæ in Eccleſia, *qui tunc benedicitur*, *n. 10. Et ſolvuntur arg. 11.*

Constat inter DD. attento jure communi, & regio antiquo Caſtellæ, invalidam eſſe ſponſalitiæ largitatis donationem inter ſponſos de præſenti matr. etiam nondum conſummato factam, more ceterarum donationum, quæ inter conjuges fiunt, quas invalidas eſſe diximus hoc 6. l. tota d. 1. Nam *l. Si a ſponſo*, *C. de don. ante nupt.* a qua ortum habuit, *l 3. tit.11. p.4.* idem diſponens intelligebatur communiter a DD. ut ſolis ſponſis de futuro permittat hujuſmodi donationem: per textum *l.1. ff. de ſponſ. & l. inter eos*, *ff. de don inter vir. & ux.* At jure novo Caſtellæ conſtat, valere hujuſmodi donationem inter ſponſos de præſenti, ante matr. conſummationem factam: per *l. 52. Tauri*, *hodie l. 4. t.2. lib. 5. recop.* Et ita corrigi jus commune, & antiquum Caſtellæ, per hanc legem, docent *Jo: Lup. l.52. Tauri*, *n.2* ubi, *Caſtillo initio*, *Ant. Gom. n.2. Gom. Arias l. 50. Tauri*, *n. 5. Montalvus l. 5. t. 2. De la arrhas*, *l.3. fori*, *Cov.4. decret.1. p. c.4. 1. n.24. Greg. Lop. lib. 3. verb. Por palabra*, *t.11. p.4. Mat. l.5. recop. t.2. rubr. gl.3. n.3. & l.4 gl.1. n.1. Azebedo ea l.4. n.1. Barb. l. Quæ dotis 34. n.83. ff. ſolut. matr.* Et ex Theologis, *Molina t. 2. de juſt. tr. 2. diſp. 290. §. Nonnulla circa hactenus dicta*, *Lud. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. c. 36. fol. 1032.* 1

Nec audiendus eſt *Greg. Lop. d. l.3 verb. Beſado* ubi hoc temperat, niſi ſponſa ad ſponſi domum tradacta ſit: tunc enim ait invalidam eſſe donationem ſponſalitiæ largitatis factam. Quia præſumitur copula, cenſeturque matr. conſummatum, quoad hunc effectum. Sed in ſimili re probavi illum hoc 6. l. diſp. 19. n.4. quia *l.52. Tauri*, non ponderat conſummationis præſumptionem, ſed vere matrim. conſummatum eſſe.

In triplici autem caſu verſatur difficultas: 1. eſt, quando conſummato matr. fit hæc donatio ſponſalitiæ largitatis. 2. quando nondum conſummato matr. mittitur nuncio, & ante ejus acceſſum conſummatur matrim. 3. de donatis, tempore nuptialium benedictionum ante matr. conſummatum, an acquirantur ſponſæ? 2

In 1. caſu, affirmant aliqui validam eſſe ſponſalitiæ largitatis donationem factam matr. conſummato, nondum tamen Eccleſiæ benedictionibus ſubſecutis, ac proinde ſponſam comparare eam integram donationem per illam copulam. Ducuntur, quia ſponſa lucratur eam donationem in amiſſi pudoris præmium: quæ ratio æque militat, quando donationem jocalium præcedit matr. conſummatio. 2. quia ex communi uſu, & modo loquendi noſtri regni, ſemper ante benedictiones nuptiales vocantur ſponſus & ſponſa, quamvis matr. conſummatum ſit: ergo donatio facta ſponſæ ante nuptiales benedictiones, judicanda erit ſecundum regulas donationis ſponſalitiæ, & non ſecundum regulas donationis inter virum, & uxorem. Quare dum *l. 52. Tauri*, *l.4. tit. 22. lib.5. recop.* dicit, *qualquier eſpoſa agora ſea de preſente gane*, *&c.* nomine ſponſæ de præſenti claudetur etiam carnaliter cognita, modo benedictiones nuptiales minime receperit. Quia verba in lege poſita, juxta communem uſum loquendi accipienda ſunt, & ille verborum proprietati præferendus. Ut probat *gl. c. Nonnulli*, *verb. Ultra de reſcript. Bart. l. Non dubium*, *n. 11. C. de legibus ex l. Libr. §. Quod tamen Caſſius*, *& ibi notatis*, *ff. de leg. 3. & l. In vulgari*, *l. Ut Alphenus*, *ff. de verb. ſign. & Fel. præmio decr. ſuper gl. n.3. Abb. ibi ſuper verb. Greg. epiſc. n.8. & ibi Ant. 1. p. proœmii*, *n. 39. 40. In c. Olim*, *de verb. ſign. n.2. Sylv. Ang. Tab. verb. Vidua*, *init.* Tertio prob. quia *d. l.52. Tauri*, æquiparat caſum oſculi caſui copulæ, quoad rationem lucrandi jocalia, licet diverſificet utrumque caſum, quoad lucri quantitatem, ſed ſponſa lucratur medietatem jocalium per oſculum, ſive donatio præceſſerit oſculum, ſive ſubſecuta ſit, ergo ſimiliter lucrabitur totum per copulam, ſive donatio illam præceſſerit, ſive ſequatur. Unde dum *l. 52. Tauri*, inquit, *gane ſi el eſpoſo la vuiere beſado*, *la mitad de todo lo que el eſpoſo le vuiere dado antes de conſumido el matr.* non ponit ea verba, *antes de conſumido el matr.* quaſi velit e contrario ſenſu, ut ſi jocalia matr. conſummato donata fuerint, nil lucretur ſponſa, ſed ad diverſificandum caſum oſculi, a caſu copulæ, quoad lucri quantitatem, ut per oſculum pars dimidia, per copulam vero integra jocalia comparentur. Et hæc ſent. eſt valde probabilis: quam tenent *Ant. Gom. l.52. Tauri nu.6. Avendanno de exeq. mandat. t.1. c.15. nu. 4. & 5. Gut.3. pract. q. 44. n. 2. & ſeq. Azebedo l. 5. recop. t. 2. lib. 4. n. 14. & 20. Barboſa*, *ff. ſolut. matr. rub.3. n.112. Ajora de partit. 1. p. c.7. nu. 37.* 3

Verius tamen eſt, eam donationem ſponſalitiæ largitatis eſſe invalidam, tamquam factam inter veros conjuges. Prob. ex 52. *Tauri*, ibi, *y gane ſi el eſpoſa la vuiere beſado*, *la mitad de todo lo que el eſpoſo le vuiere dado*, *antes de conſumido el matr.* ergo a contrario ſenſu ſponſa non lucratur donata poſt conſummatum matr. quamvis benedictiones ſecutæ non ſint. Nec eſt conveniens expoſitio quam adverſarii tradunt, ut illa verba, *ante de conſumido el matr.* jungantur cum illis, *gane la mitad*, & non cum illis, *lo que vuiere dado*. Quia gratis, & abſque fundamento, valdeque improprie verba tranſponuntur. Sic tenent *Jo: Lup. l.52. Tauri*, *n.2. fi. & n.14. fine Caſtillo ibi n.17. verſ. Ex quo habes*, *Gom. Arias l.50. Tauri*, *nu.20. Greg. Lop. l.3. verb. Beſado*, *c.11. p.4. Mat. l.5. recop. t.2. l.4. gl.3. n.2. Azeb. ſibi contrarius*, *eadem l.4. num 25. fine*, *& 26.* 4

Quando autem hæc donatio ſponſalitiæ largitatis non valet, eo quod facta ſit poſt conſummatum matr. confirmabitur donantis morte, ſicut de aliis donationibus invalidis inter con- 5